num, & hoc aſſerat contraria opinio, videtur incidere in id, quod jam damnatum eſt.

IV. Probatur ſecundo, Deum non poſſe phyſice concurrere cum creatura ad malitiam peccati, ſic. Deus permittere non poteſt, ut ſua omnipotentia concurrat ad id, quod Deus odio habet, & quod in ejus virtute non continetur: ſed malitiam peccati Deus odio habet, & inſuper in virtute ſuæ omnipotentiæ non continetur; ergo &c. Maj. prob. Nam pro prima parte, cum, teſte Paulo *ad Epheſ.* 1. v. 11. Deus ſit, *qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ;* non eſt credibile, ut ſinat, ſuam omnipotentiam concurrere ad id, quod voluntas ejus averſatur, & odio habet. Pro ſecunda vero videtur certa: cum nulla cauſa poſſit concurrere ad producendum effectum, quæ non continet in ſua virtute, alias concurreret ad id, ad quod non poteſt concurrere.

V. Min. vero pro prima parte videtur certa ex illo Sap. 11. v. 25. *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti, nec enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti.* Quæ exponens S. Auguſt. *Tract.* 110. *in Joann.* ait: *Merito quippe odit, & velut a regula ſuæ artis alienum improbat vitium: amat tamen ſuum etiam in vitioſis, vel ſanatione beneficium, vel damnatione judicium. Ita Deus, & nihil odit eorum, quæ fecit: naturarum enim, non vitiorum conditor, mala, quæ odit, ipſe non fecit; & de malis eiſdem, vel ſanando ea per miſericordiam, vel ordinando per judicium bona ſunt ipſa, quæ facit.* ---- Pro ſecunda vero parte prob. min. Quod avertit ab ultimo fine, nec cadit ſub ordine illius, non poteſt cadere ſub cauſalitate, & continentia omnipotentiæ; cum ratio primæ cauſæ, & ultimi finis in Deo non ſolum identificentur, ſed adæquentur: ſed peccatum, & malitia ejus non poſſunt cadere ſub ordine ad ultimum finem; ergo nec ſub continentia omnipotentiæ.

VI. Confirm. hoc. Ut docet D. Thom. 1. *p. q.* 49. *a.* 2. & *q.* 3. *de Malo a.* 1. cum peccare ſit deficere a regula, ſive artis, ſive morum; neceſſe eſt, ut peccatum procedat, ut a principio activo, vel quaſi activo, ab eo, quod poteſt deficere: ſed omnipotentia, quæ eſt ſuum eſſe, nullo modo poteſt eſſe principium defectivum; ergo &c.

VII. Reſpondent, omnia hæc vera eſſe de eis, quæ Deus operatur propria determinatione, & ut cauſa per ſe: ſecus tamen de eis, quæ operatur ex determinatione alterius, quæ etſi operetur, tantum in ea influit per accidens, & permiſſive.

VIII. Sed contra primo. Nam etſi Deus ſolum ex determinatione voluntatis creatæ concurrat ad malitiam: ita tamen ad eam phyſice concurrit, ut malitia aliter nequeat exiſtere, niſi Deo conficiente ipſam ſuo concurſu phyſico, & reali: cumque ex alia parte, Deus eam odio habeat; jam ſequitur, Deum odiſſe aliquid eorum, quæ fecit: quæ eſt propoſitio contradictoria Scripturæ dicenti: *Nihil odiſti &c.* Nec obeſt, quod ad eam concurrat Deus, non ſua, ſed voluntatis creatæ determinatione; hoc enim non tollit, quin ad eam influat. Quod oſtendo exemplo familiari apud Adverſarios. Si enim quis voluntarie traderet alteri manum ad ſcribendum quodcumque vellet, cum voluntate tamen, ut mediante illa recte ſcriberet, & ſimul cum diſplicentia, ut illa prave uteretur: & in caſu pravæ ſcriptionis non poſſet verificari, hanc ſine concurſu illius fuiſſe formatam, aut non efformaſſe ſcripturam, quam odio habebat. Similiter quamvis monſtra eveniant contra inclinationem cauſarum particularium: quia tamen hæ, juxta Adverſarios, influunt in eorum productionem concurſu phyſico, vero, & reali, non poteſt verificari, monſtra fieri ſine cauſis particularibus, aut ea non operari, quæ ſunt contra propriam inclinationem; ergo ſi omnipotentia, quamvis contra propriam inclinationem, concurſu tamen phyſico cum creatura operatur malitiam, verificari non poterit, malitiam exiſtere ſine illa, aut ejus concurſu.

IX. Contra ſecundo. Ex doctrina D. Thom. ille ſolus poteſt poſitive influere in malitiam, qui unice poteſt eſſe cauſa defectus, qui eſt in actu: ait enim in 2. diſt. 37. q. 2. a. 1. *Cum igitur peccatum dicatur propter inordinationem a fine, ad quem natura rationalis ordinata eſt; non poteſt eſſe cauſa peccati Deus, in quo nullus defectus cadere poteſt: ſed oportet, quod peccatum cauſetur defectu illius agentis, quod eſt poſſibile ad defectum, ſicut eſt voluntas rationalis creaturæ.* Et hac 1. 2. quæſt. 79. a. 2. ad 2. *Deus* (inquit) *ſic eſt cauſa actus, quod nullo modo eſt cauſa defectus concomitantis actum:* atqui ſi Deus concurſu ſuo phyſice concurreret ad malitiam, etſi ex determinatione voluntatis creatæ, eſſet cauſa defectus comitantis actum, & non ſolius actus, ut exempla nuper allata demonſtrant; ergo &c.

X. Nec valet quod dicunt, Deum ſolum per accidens, & permiſſive ad malitiam concurrere. Nam concurſus poſitive influens in malitiam, etſi ex alterius determinatione, non eſt permiſſivus: ſed in doctrina D. Thomæ, ille ſolus permiſſive concurrit, qui cum poſſit impedire, nec teneatur, non impedit: ita quæſt. 3. de Malo art. 1. ad 1. *Deſerendo* (inquit) *vel non impediendo; ſicut ſi aliquis non daret manum cadenti.* Et hac quæſt. 79. art. 1. in corp. in quantum *aliquibus non præbet auxilium ad evitandum peccatum, quod ſi præberet non peccaret;* additque, Deum non eſſe cauſam peccati: *Sicut gubernator non dicitur cauſa ſubmerſionis navis ex hoc, quod non gubernat navem, niſi quando ſubtrahit gubernationem potens, & debens gubernare.* Hoc eſt in ſenſu D. Thom. permiſſive ſe habere ad peccatum, velle non impedire, deſerere, non dare auxilium ad illud vitandum: non autem ad ejus malitiam ponendam concurrere nolentem.

XI. Probatur tertio præcipue repugnare, omnipotentiam influere poſitive in malitiam, & Deum poſitive diſplicere in illa. Primo. Quia repugnat, actionem aliquam egredi poſitive ab omnipotentia, & Deum illam non velle. Ait enim D. Thom. quæſt. 1. de Pot. art. 6. in corp. *Quod Deus non poteſt facere, quod non poteſt velle:* ex quo infert, quod cum Deus non poſſit velle peccatum, quia contrarium ſuæ bonitati; non poteſt peccatum efficere. Item 1. *part. quæſt.* 25. *art.* 5. *ad* 1. dicit: *In Deo eſt idem potentia, & eſſentia, & voluntas, & intellectus, & ſapientia, & juſtitia. Unde nihil poteſt eſſe in potentia divina, quod non poſſit eſſe in voluntate juſta:* ſed peccatum pro formali malitiæ non poteſt eſſe in voluntate Dei, ut Adverſarii fatentur; ergo nec poteſt eſſe in potentia Dei. Ut enim dicit citata quæſt. 25. art. 1. ad 4. *Potentia importat rationem principii exequentis id, quod voluntas imperat, ad quod ſcientia dirigit.* Sed ad rem præſentem, aperte loquitur in 1. *contra Gent. cap.* 96. *ratione* 3. ubi format hunc diſcurſum: *Si Deus aliquod eorum, quæ ſunt, odio habet, vult illud non eſſe . . . Vult igitur actionem ſuam non eſſe, qua illud ineſſe producitur, vel mediate, vel immediate.* Hoc autem eſſe impoſſibile demonſtrat ſic: *Si res per voluntatem ipſius in eſſe procedant; tunc oportet, actionem, qua res producuntur, eſſe voluntariam. Similiter ſi naturaliter ſit rerum cauſa; quia ſicut placet ſibi ſua natura, ſic placet ſibi omne illud, quod ſua natura requirit.* Judicat ergo impoſſibile Sanctus Doctor, Deum aliquid producere, & ſibi non placere, ſed diſplicere actionem ſuam, qua illud producit; quia quidquid facit, vel voluntarie facit, vel naturaliter. Sed Adverſarii volunt, Deum cum creatura concurrere phyſice ad peccatum, & ei diſplicere actionem ſuam, qua ad illud concurrit, & eſſe illi involuntariam; ergo contra Div. Thomam loquuntur.

XII. Dicent Adverſarii, Deo quidem non poſſe diſplicere actionem ſuam, qua agit per ſe, & volens eam; bene tamen diſplicere ei poſſe actionem, qua agit, ut cauſa pure permiſſiva, & ex voluntate aliena.

XIII. Sed contra. Nam in primis Deum agere, & non agere voluntarie propria voluntate; & omnipotentiam applicari ad agendum, non ex imperio voluntatis divinæ, impoſſibile judicat Div. Thom. ut vidimus, & multo magis eam applicari ex imperio voluntatis creatæ. —— Secundo. Non poteſt percipi, actionem peccaminoſam eſſe etiam actionem Dei, & phyſice procedere ab omnipotentia; & aliunde Deum illam pure permittere: quia pure permittere non eſt agere, ſed potius non agere, & non impedire, non auxiliari &c. ut vidimus. —— Tertio. Falſum eſt, actionem permiſſivam peccati eſſe Deo involuntariam, eique diſplicere: Deo enim non diſplicet, niſi quod eſt moraliter malum: actio autem permiſſiva peccati non eſt moraliter mala: Unde Divus Auguſtinus *in Enchir. cap.* 100. docet non fieri *præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem. Quia non fieret, ſi non ſineret: nec utique nolens ſinit, ſed volens.* Et *cap.* 102. ait: *Deus igitur omnipotens, ſive per miſericordiam, cujus vult miſereatur, ſive per judicium, quem vult obduret; nec inique aliquid facit, nec niſi volens quidquam facit, & omnia, quæcumque vult, facit.* Quæ Auguſtini verba contrariam ſententiam funditus evertunt.

XIV. Scio reſponderi poſſe, duplicem in Deo dari permiſſionem peccati; unam quaſi in actu primo; & hanc eſſe collationem gratiæ præviſæ inefficacis, & denegationem gratiæ præviſæ efficacis: & hanc a Deo eſſe decretam, & volitam: & de hac loqui SS. Auguſtinum, & Thomam. Aliam vero eſſe permiſſionem, ſeu actionem permiſſivam in actu ſecundo, & executive; & hanc conſiſtere in influxu poſitivo omnipotentiæ in malitiam peccati, & hanc Deo diſplicere.

XV. Sed hoc ſine fundamento in SS. Auguſtino, & Thoma aſſeritur: qui nunquam dixerunt, Deum influere in malitiam, ſed ſinere malitiam a creata voluntate poni; deſerendo illam, non adjuvando; non quidem impartiendo malitiam, ſed non impartiendo miſericordiam. Hanc autem eſſe permiſſionem peccati exercite, & in actu ſecundo, & non in actu primo, ſic oſtendo. Nam poſita denegatione gratiæ efficacis, infallibiliter ſequitur peccatum, ſicut poſita collatione gratiæ efficacis, ſequitur opus bonum: ſed collatio gratiæ, & adjutorium *quo* in actu ſecundo fit bonum; ergo denegatio gratiæ eſt id, ex quo ſequitur peccatum, ſicut ex ſubtractione lucis ſequuntur tenebræ.

XVI. Addo, quod poſita permiſſione influxiva in peccatum, varia abſurda ſequerentur. Primo. Quod Deus adjuvaret hominem ad peccandum, eſto non moraliter (quia contra inclinationem) ſaltem tamen phyſice. Secundo. Omnipotentiam, quæ eſt indeficiens, exerceri, tamquam per ſui actionem, per actionem creaturæ, etſi iniquam, & moraliter pravam. Tertio. Sequeretur, Deum non eſſe pure permiſſorem peccatorum, ſed aliquomodo effectorem, contra ſenſum Patrum, & ſanctitatem Dei eſſentialem. Dicere autem, hoc facere cum diſplicentia, & non propria, ſed aliena determinatione, eſt aſſerere, vel duo ſibi repugnantia; ut ſupra diximus, quia nihil a Deo fit, quod non ſit ab eo volitum: vel Deum ſubjicere creaturæ; quod eſſe indecens, & damnatum, oſtendimus.

§. II.

Solvuntur contrariæ rationes.

XVII. Conantur aliqui inferre, Deum, vel nolentem, concurrere ad malitiam peccati, ex illo Iſaiæ 43. v. 24. ubi Deus exprobrans, per Prophetam, populum, ait: *Servire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Ex quibus putant, Deum ſervire, & laborare; dum quaſi invitus concurrit cum creatura ad ejus peccata operanda.

XVIII. Sed abſque fundamento hoc dicunt: facit enim homo, Deum quodammodo ſervire, & laborare; dum patienter ſuſtinet peccatores, & quos punire poterat, expectat, & quaſi defendit. Unde lxx. legunt, *& in peccatis tuis defendi te.* Ita S. Hieronymus in ſecundum caput, dicens: verba hæc ſic poſſe ſuperioribus copulari, *ut labor ſit Dei, & laſſitudo, defendere peccatores:* quæ populo Judaico optime aptantur. Sanctus autem Gregorius *l.* 18. *Moral. c.* 49. verba illa intelligit de hæreticis, qui Deum Sacræ Scripturæ auctorem faciunt ſervire peccatis ſuis; dum ſuos errores divino teſtimonio (licet falſo) confirmare conantur.

XIX. Secundo afferunt auctoritatem Concilii Tridentini *Seſſ.* 6. *Can.* 6. ſtatuentis: *Deum non operari mala opera proprie, & per ſe, ſed ſolum permiſſive:* ergo ſentit, Deum aliquo modo influere, & operari mala opera, eſto non proprie ea volendo, ſed permittendo.

XX. Reſpondeo, nego conſ. pro prima parte. Ex verbis enim Concilii potius colligitur, Deum mala opera permittere quidem, ſed nullo modo ea operari. Ait enim: *Si quis dixerit . . . mala opera ita ut bona, Deum operari, non permiſſive ſolum, ſed etiam proprie, & per ſe; adeo ut ſit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli: anathema ſit.* Quem Canonem ſtatuit contra Calvinum, qui, ut ſupra vidimus, volebat, opera mala non minus quam bona eſſe opus Dei: ſed ſi Deus aliquem influxum haberet in opus malum, opus malum eſſet opus Dei; ergo dum ait, Deum ſe habere *permiſſive ſolum*, excludit omnem influxum poſitivum Dei in opus malum, & ſolum admittit negativum, quatenus ſinit, & non impedit, ne a creatura committatur.

XXI. Tertio adducunt D. Anſelmum *lib. de cauſa Diaboli cap.* 28. dicentem: *Non ſolum hoc habet aliquis a Deo, quod Deus ſponte dat, ſed etiam quod injuſte rapit, Deo permittente. Et ſicut dicitur Deus facere, quod permittit fieri: ita dicitur dare, quod promittit rapi. Quoniam igitur, permittente Deo, Angelus malus per rapinam uſus eſt poteſtate a Deo ſponte data, a Deo habuit ipſum uti, quod non eſt aliud, quam ipſum, velle. Non eſt etiam aliud velle, quam uti poteſtate volendi, ſicut idem eſt loqui, & uti poteſtate loquendi.*

XXII. Reſpondeo, me non percipere: quomodo laudata Anſelmi verba favere poſſint adverſarius. Nam Divus Anſelmus dicit quidem, quod ſicut Deus dicitur facere, quod permittit fieri; ita dicitur dare, quod permittit rapi: ſed non dicit, quod dum permittit fieri, vel rapi, hoc faciat, poſitive concurrendo cum faciente, vel rapiente, & non pure non impediendo, ne faciat, aut rapiat, quod debuiſſet dicere, ut adverſariis faveret. Concedimus, quod Deus dicitur facere, quod permittit fieri, & dare, quod permittit rapi: ſed ſicut in humanis, qui permittit fieri, non oportet, ut concurrat poſitive cum faciente; & qui permittit rapi, ut concurrat cum rapiente; ſed ſatis eſt, ut non impediat, ne faciat, & ne rapiat: ita, ut Deus permittat peccatum, quod eſt rapina, quia rapit a Deo honorem ipſi debitum; non oportet, ut qui rapit, trahat omnipotentiam ad ſecum concurrendum ad rapinam; ſed ſat eſt; ne impediatur a Deo, uti ſua poteſtate, ſibi a Deo ſponte data ad rapiendum.

XXIII. Quarto objiciunt. Etſi omnipotentia influant phyſice in peccatum, adhuc ſubſiſtit, quod non ſit cauſa propria, & per ſe illius, ſed ſolum permiſſiva: ſed hoc eſt, quod intendit Concilium Tridentinum ſupra allatum; ergo &c. Maj. probatur. De ratione cauſæ proprie, & per ſe talis eſt influere in effectum, juxta propriam inclinationem, & mediante affectu, & inclinatione voluntatis, ſi cauſa ſit rationalis, & libera. Quare effectus monſtruoſi phyſice a natura producuntur; quia tamen contra omnem inclinationem fiunt, natura cauſa per ſe non eſt. Idem de eo, qui ex determinatione alterius apprehendentis ejus manum, contra voluntatem ejus formaret litteras; poſitive quidem ille concurreret ad earum formationem: non tamen eſſet cauſa per ſe, nec illi imputaretur, ſi non eſſent bene formatæ.

Et ratio eſt, quia cauſa rationalis, & libera non operatur proprie, & per ſe id, quod non operatur ex propria determinatione, vel ſaltem ex aliquo effectu, quia ſic non operatur, ut diſtincta a cauſa inanimata, & irrationali. Cum ergo quamvis omnipotentia Dei influeret poſitive in malitiam, id tamen eſſet non ex propria determinatione, nec juxta, ſed contra Dei inclinationem, & voluntatem; non eſſet cauſa proprie, & per ſe, ſed ſolum per accidens, & permiſſiva.

XXIV. Reſpondeo ad hoc, quod continet totam adverſæ opinionis doctrinam, negari poſſe aſſumptum, nempe, quod influxus omnipotentiæ in malitiam ſit contra ejus inclinationem, & Dei voluntatem. Ut enim refert P. Marin Tract. 6. de Actibus humanis *diſp.* 2. *ſect.* 7. *n.* 80. Suarez, Leſſius, Heriee, Alarcon, Meratius, Oviedo, Izquierdo, omnes Auctores ex Soc. dicunt: *Deum velle quaſi conditionate concurrere cum creatura ad peccatum, caſu quo determinet ad illud.* Et Izquierdo addit: *Deum velle efficaciter conditionate actionem pravam, prout a Deo, quia ſic eſt bona.* Unde apud iſtos auctores peccatum non exiſtit contra voluntatem Dei.

XXV. Dato tamen, Deum ſua omnipotentia concurrere ad peccatum, non ex propria determinatione, & voluutate, ſed ſolius creaturæ, diſting. major. Adhuc ſubſiſtit: quod non ſit cauſa propria, & per ſe directe influens, tranſeat major. Indirecte, & per accidens influens, nego maj. Præter cauſam proprie, & per ſe talem reſpectu alicujus effectus, & cauſam pure permiſſivam, datur etiam & cauſa indirecta, & cauſa per accidens poſitive influens: & conſtat in eo, qui fodit ſepulchrum, & invenit theſaurum, qui quidem, etſi non ſit cauſa per ſe talis inventionis, eſt tamen, media foſſione, cauſa per accidens poſitive influens in illam. Unde D. Thom. *q.* 1. *de Malo ad* 14. docet, quod hoc contingit, quando *actio cauſæ pertingit ad ipſum effectum, quod eſt per accidens, ſicut effodiens ſepulchrum, per ſuam effuſionem invenit theſaurum.* Cum ergo actio omnipotentiæ pertingat ad ipſam malitiam, licet ei ſit per accidens, non erit cauſa mere permiſſiva illius; ſed vere, & poſitive influxiva: ſicut effodiens ſepulchrum non dicitur cauſa mere permiſſiva inventi theſauri. Porro cum a Deo, ob ſummam ſanctitatem, & perfectionem, exulare debeat omnis concurſus poſitivus in peccatum, & concedi concurſus ſolum permiſſivus, debet hic in pura denegatione gratiæ conſtitui: & in hoc etiam relucet ſupremum ejus dominium.

XXVI. Quod vero additur de fœtibus monſtruoſis. Vel iſti comparari poſſunt ad naturam, vel cauſas univerſales: & ſic eſto non ſint de primaria intentione illarum, ſunt tamen de intentione ſecundaria, ut docet D. Thom. *quæſt.* 23. *de Verit. art.* 2. In intentionem autem Dei nec primariam, nec ſecundariam reduci poteſt defectus peccati, ut ibi docet S. Doctor. Unde exemplum non eſt ad rem. Vel fœtus monſtruoſi comparantur ad naturam, vel virtutem generativam in particulari: & ſic defectus monſtruoſitatis nullo modo eſt a natura, nec a virtute generativa; ſed ex defectu virtutis, vel indiſpoſitione materiæ, ut docet D. Thom. 3. *cont. Gent. c.* 19. *n.* 4. Quapropter in partu monſtruoſo diſtingui debet, id, quod vitalitatis, & perfectionis in ipſo eſt; & id, quod defectus eſt. Primum a virtute generativa provenire poteſt, non vero ſecundum, ſed ex defectu in cauſis particularibus provenire debet. Sic ergo in actu peccati quidquid entitatis, & vitalitatis eſt, a Deo eſſe poteſt; quidquid autem defectus, & malitiæ, in defectum voluntatis reduci debet, Deo quidem permittente, ſed nullo modo poſitive influente.

XXVII. Ad alterum exemplum de eo, cujus manus apprehenditur ad ſcribendum, jam ſupra dictum eſt. Modo addo. Vel enim apprehenſio, & motio manus alterius hominis ad ſcribendum eſt omnino violenta: & ſic motus illius non provenit a virtute intrinſeca manus; ſed a quodam impulſu exterius, & tranſeunter illi impreſſo. Vel manus voluntarie offertur alteri ad ſcribendum quodcumque voluerit, ſive bene, ſive male, juxta determinationem applicantis manum: & in hoc caſu non video, cur offerens manum non ſit cauſa ſcriptionis, ſive bonæ, ſive malæ, cum, etiamſi nollet ſcribere male, ex vi tamen prioris voluntatis, qua ſpontanee tradidit manum, imputaretur ei ſcriptio: maxime ſi prævidiſſet, fore, ut ad male ſcribendum applicaretur. Cum igitur Deus voluntarie omnipotentiam ſuam ad quodcumque creata voluntas ſe determinaverit; & cum eam illi præſentet in ea circumſtantia, in qua prævidit, fore determinandam ad malum, etiamſi hoc Deus nollet: Non video, cur malum formaliter non ſit tribuendum Deo, ut cauſæ.

XXVIII. Objici poteſt quinto. In opinione plurium Thomiſtarum Deus eſt forma graviſicans offenſam lethalem; ergo poteſt eſſe cauſa efficiens illius, conſeq. prob. Plus eſt Deum cauſare formaliter, ſive per modum formæ effectum, in quo ſumme, ac infinite diſplicet, quam illum cauſare pure effective: quia cauſa efficiens eſt extrinſeca effectui; cauſa vero formalis gravificans offenſam, eſt intrinſeca ſaltem in eſſe morali.

XXIX. Reſpondeo nego conſeq. quæ varias inſtantias patitur. Et primo. In omnium ſententia Deus eſt forma, ſaltem extrinſece, & per modum objecti moraliter gravificans offenſam: cum tamen in communiori ſententia Deus peccati malitiam effective non producat. Secundo. Majeſtas Regis, etſi per modum formæ, aut per modum objecti poſſit moraliter gravificare offenſam contra ipſum Regem commiſſam; non tamen quia talis formaliter influere effective in actiones injurioſas regiæ majeſtati. Et tertio. In ſententia Adverſariorum Deus poteſt phyſice effective producere malitiam moralem; & tamen non poteſt eam producere effective moraliter: & tamen plus eſt phyſice effective aliquid producere, quam ſolum effective moraliter, ſuadendo, conſiliando &c.

XXX. Diſparitas ergo eſt, ex modo, quo objectum offenſum gravificat offenſam, & modo, quo cauſa effectiva illam produceret. Deus enim gravificat offenſam non converſive, ſed averſive: eo modo, quo ſumma Dei bonitas dicitur, ſpecificare malitiam moralem repertam in odio Dei, & quælibet forma dicitur, ſpecificare privationem. At ſi omnipotentia Dei influeret phyſice in malitiam peccati, talis cauſalitas conveniret ei ſecundum intrinſeca; nempe, quia contineret malitiam, in quam influeret. Ex quo magis apparet diſparitas inter cauſam formalem, & effectivam: quod cauſa formalis de ſe eſt indifferens ad cauſandum effectum, vel per converſionem, vel per averſionem; quia attingi poteſt modo averſivo, vel modo converſivo. Hac enim ratione aliqui motus inter ſe contrariantur moraliter: quia licet reſpiciant idem objectum bonum, unus reſpicit illum per modum acceſſus, alter per modum receſſus; ut patet in amore Dei, & odio Dei; in ſpe, & deſperatione. Cauſa vero phyſica immediate influens in effectum, nequit cauſare illum averſive, ſed poſitive, & converſive, derivando ex ſuis intrinſecis prædicata, quæ virtuti effectivæ conveniunt: quapropter ſi Dei omnipotentia effective malitiam peccati produceret, deberet in ſe active eam ſaltem virtualiter continere; quod infinitæ ejus boni-

bonitati repugnat. Ex quo autem Deus gravificet offenſam, ſequitur quod Deus avertatur ab offenſa, & malitiæ illius infinitæ contrarietur.

D u b i u m IV.

An Deus ſit cauſa proprie, & per ſe entitatis, & actionis peccati, in quantum entitas, & actio eſt.

§. I.

Quibuſdam prænotatis referuntur opiniones.

I. STatuto jam in præcedentibus, Deum non cauſare malitiam, ſeu peccatum pro formali; nec determinando, aut impellendo voluntatem creatam ad illud, ut blaſphemat Calvinus; nec ut a voluntate creata determinatum, ut autumant PP. Societatis; modo videndum eſt: an ſaltem Deus ſit cauſa entitatis, & actionis peccati. Pro quo

II. Noto cum S. Th. 1. 2. *q.* 71. *art.* 5. in peccato duo reperiri. Unum ſe habens quaſi materiale; ſcilicet, actionem humanam phyſice & realiter egredientem a voluntate: & aliud quaſi formale ſcilicet malitiam, & deformitatem, qua actio recedit a lege æterna, & denominatur formaliter prava. Quod S. Doctor, laudato loco, exponens definitionem peccati traditam a S. Auguſtino, explicat his verbis: *Auguſtinus in definitione peccati poſuit duo, unum, quod pertinet ad ſubſtantiam actus humani, quod eſt quaſi materiale in peccato, cum dixit:* Dictum, vel factum, vel concupitum. *Aliud autem, quod pertinet ad rationem mali, quod eſt quaſi formale in peccato, cum dixit:* Contra legem æternam. De hoc ergo, quod materiale eſt peccato, nempe, entitate, & ſubſtantia actus, quærimus: an proprie, & per ſe cauſetur a Deo.

III. Ut tamen omnis æquivocatio tollatur, hoc materiale peccati adhuc dupliciter ſumi poteſt. Vel pure materialiter, pro entitate phyſica, realitate, & vitalitate actionis abſque reſpectu, & ordine ad malitiam. Vel formaliter, quatenus nimirum entitas ipſa actionis ſubſtat deformitati, & ſe habet, ut ſubjectum denominabile ab ipſa. Quæſtio igitur præſens procedit, non in hoc ſecundo, ſed in primo ſenſu. Ideoque S. Th. tum hac *q.* 79. *art.* 2. tum *q.* 3. *de Malo art.* 2. ubi hanc examinat, non quærit: *Utrum materiale peccati ſit a Deo.* Sed *Utrum actus, ſeu actio peccati ſit a Deo*, & in 2. diſt. 37. q. 2. art. 2. *Utrum actio peccati, in quantum actio, ſit a Deo.*

IV. His præmiſſis, duplex eſt ſententia. Prima omnium Thomiſtarum ex D. Thoma, locis mox relatis, aſſerentium, Deum proprie, & per ſe cauſam eſſe actionis peccati, in quantum actio eſt: quamvis unus, vel alter videatur negare, Deum ad talem actionem concurrere concurſu prædeterminativo, ſed irrationabiliter, ut puto. Nam ſi Deus proprie, & per ſe eſt cauſa entitatis peccati, & hoc non præjudicat divinæ Sanctitati; nec præjudicabit, ſive eam per ſe operatur concurſu ſimultaneo, ſive prædeterminativo. Et hoc admittere videntur etiam PP. Societatis, qui concurſum prædeterminativum rejiciunt ex titulo laboris libertatis creatæ, ſed non ex titulo læſionis ſummæ ſanctitatis divinæ. Quæ bene notanda ſunt.

V. Altera ſententia eſt omnium fere Societatis Doctorum, volentium, Deum eodem prorſus modo, ſcilicet, per accidens, & permiſſive influere in entitatem, ac in malitiam peccati. Dicunt enim, quod ſuppoſito decreto præparativo omnipotentiæ ad concurrendum cum voluntate creata ad quodcumque ipſa ſe determinaverit; hoc poſito in manu ejus relinquitur, ſeipſam, omnipotentiam, & alia comprincipia ad partem, quam maluerit, determinare, vel ad actum bonum, vel ad malum, vel ad actum bonum, vel ad ejus omiſſionem, juxta modum libertatis. Quo fit, ut omnipotentia ſic præparata, cum voluntas creata ſe determinat ad actum, influat ſimul cum illa: cæterum omnipotentia pure elicitive; voluntas vero creata elicitive, & determinative; quia non ſolum producit actum, ſed pro ſuo libito ei tribuit exiſtentiam, volendo ipſum.

VI. Ex his principiis inferunt, Deum minime eſſe auctorem entitatis, aut actionis peccati, etiam ſecundum ſuum eſſe phyſicum conſideratæ. Etenim cum aliquid fieri a Deo ſit fieri illo volente, & Deus non velit entitatem, aut malitiam peccati: ideo quamvis ſua omnipotentia ad utramque concurrat; dicunt, eas non fieri Deo auctore, nec ut cauſa proprie, & per ſe, ut ſuperius dictum eſt. Ad hoc autem excogitandum ex hoc motivo redacti ſunt. Cum enim noſtri Thomiſtæ argumentum, quo impugnabant prædeterminationem ad entitatem peccati, retorquerent in ipſos, dicentes: ſi Deus ſimultanee concurrit ad entitatem peccati, & non ad malitiam, cur non poterit prædeterminare ad entitatem, & non ad malitiam? Ideo ut ab hoc laqueo ſeſe extricarent, coacti ſunt negare, Deum per ſe concurrere ad entitatem peccati, ſed tantum permiſſive, & per accidens, ſicut ad malitiam.

§. II.

Reſolutio affirmativa.

VII. DIco. Deus eſt cauſa proprie, & per ſe entitatis, & actualitatis phyſice repertæ in peccato. Prob. primo auctoritate cum Sac. Script. *Sap.* 11. *v.* 5. ubi de Deo dicitur: *Diligis omnia, quæ ſunt.* Job 1. v. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Et Act. 17. v. 28. *In ipſo vivimus, movemur, & ſumus.* Ex quibus licet ſic ratiocinari. Deus omnia, quæ ſunt ens, diligit; omnia, quæ ſunt, per ipſum ſunt facta, ab ipſo eſt, omnis noſtra vita, motus, & eſſe: ſed actus peccati, ſecundum ſuam phyſicam entitatem ſumpti, ſunt verum ac proprium ens, vita, & motus; ergo a Deo ſunt, ut cauſa proprie, & per ſe tali.

VIII. Hinc S. Th. in 2. *diſt.* 37. *q.* 2. *art.* 2. de opinione, quæ docebat, actus peccatorum nullo modo, nec etiam in quantum actus ſunt, a Deo eſſe, dicit, eam a paucis teneri; quia propinquiſſima eſt errori duplici. Primo. Quia ex ea videtur ſequi, quod ſint plura prima principia; de ratione enim primi principii eſt: *Poſſe agere ſine auxilio prioris agentis, & influentia ejus. Unde ſi voluntas humana actionem aliquam poſſet producere, cujus auctor non eſſet Deus; voluntas humana rationem primi principii haberet.* Nec dicatur, non fore primum principium. Tum quia adhuc haberet eſſe ab alio. Tum quia quoad alias actiones eſſet a Deo. Nam contra inſurgit S. Thomas. Et quidem contra primum. Nam *hoc videtur inconveniens, ut quod a ſe eſſe habet, a ſe agere poſſit, cum etiam per ſe durare non poſſit, quod a ſe non eſt. Omnis etiam virtus ab eſſentia procedit, & operatio a virtute: unde cujus eſſentia ab alio eſt, oportet, quod virtus, & operatio ab alio ſit.* Contra ſecundum ait: Quod *Quamvis per hanc reſponſionem evitaretur, quod non eſſet primum ſimpliciter; non tamen poſſet evitari, quin eſſet primum agens, ſi ejus actio in aliquid prius agens non reduceretur, ſicut in cauſam.* Secundus error eſt: Quia *cum actio, etiam peccati, ſit ens quoddam, non ſolum ſecundum quod privationes, negationes entia dicuntur; ſed etiam ſecundum quod res in genere exiſtentes entia ſunt; eo quod & ipſa actiones in genere ordinantur: ſequeretur, ſi actiones peccati a Deo non ſunt, quod aliquod eſſe eſſentiam habens, a Deo non eſſet: & ita Deus non eſſet univerſalis cauſa omnium entium.* Ita S. Doctor.

IX. S. Thomæ conſentit S. Anſelmus *lib. de caſu Diaboli c.* 20. dicens: *Quod aliquid eſt, a Deo fit, & Dei eſt: quod vero nihil eſt, ideſt, malum ab injuſto fit, & ejus eſt.* Diſcipulo autem quærenti ſic: *Quod quidem Deus naturas rerum omnium faciat, fatendum eſt; quod vero ſingulas actiones perverſarum voluntatum, velut ipſum pravum motum voluntatis, quo ipſa mala voluntas ſe movet, faciat, quis concedat?* Ita reſpondet Anſelmus: *Quid mirum, ſi dicimus, Deum facere ſingulas actiones, quæ fiunt mala voluntate; cum fatemur, eum facere ſingulas ſubſtantias, quæ fiunt injuſta voluntate, & inhoneſta actione?* Quaſi diceret: Deus eſt cauſa ſubſtantiæ, etſi genitæ per injuſtam actionem, puta, fornicationem, & adulterium, quin ſit cauſa actionis, ut injuſtæ, ſed ut generativæ ſubſtantiæ; ergo etiam poterit eſſe cauſa actionis, quia gignitur, quin ſit cauſa injuſtitiæ. Quare lib. de Concordia præſcientiæ Dei cum Lib. arb. cap. 7. *Facit* (inquit) *Deus omnia, quæ juſta, vel injuſta voluntate fiunt, ideſt bona opera, & mala. In bonis quidem facit quod ſunt, & quod bona ſunt: in malis vero facit, quod ſunt, ſed non quod mala ſunt.* Et poſtea: *Sicut Deus non facit injuſtitiam; ita non facit aliquid injuſtum eſſe, qui tamen facit omnes actiones, & omnes motus.*

X. Eamdem eſſe S. Auguſtini mentem, ex eo colligitur; quod agens contra Manichæos pro principio ſtatuit: quod quidquid bonum eſt, a Deo eſt, & quod a Deo non eſt, nihil eſt; cumque omnis ſubſtantia, vel natura bona ſit, aliquid ſit, & nihil non ſit, a Deo eſſe debeat. Ita in Enchirid. cap. 13. *Omnis natura, etiamſi vitioſa eſt, in quantum natura eſt, bona eſt; in quantum vitioſa eſt, mala eſt.* Quæſt. 21. inter quæſt. 83. *Mali* (inquit) *auctor non eſt, qui omnium, quæ ſunt, auctor eſt; quia in quantum ſunt, in tantum bona ſunt.* Et quæſt. 24: *Omne quod eſt, in quantum eſt, bonum eſt. Summe enim eſt illud bonum, cujus participatione ſunt bona cætera.* Et lib. de Natura boni c. 24. *Sine ipſo factum eſt nihil, ideſt* (inquit) *non eſt factum ſine ipſo aliquid.* Quibus nomine *ſubſtantiæ* non intelligit, ut putant aliqui, ſolam ſubſtantiam contradiſtinctam ab accidente; ſed quamcumque naturam, ſeu eſſentiam, quæ habet eſſe reale, & entitas poſitiva eſt; ex quo fit, ut bona ſit traſcendentaliter, quia hæc bonitas cum ente convertitur. Quod oſtendit *enarrat.* In *Pſalm.* 68. dicens: *Quod nulla ſubſtantia eſt, nihilominus eſt.* Et poſtea: *Iniquitas ipſa non eſt ſubſtantia, hoc eſt, natura.* Et pro ratione ſubdit. *Non enim iniquitas eſt natura, quam formavit Deus.* Et rurſum: *Naturæ omnes per ipſum factæ ſunt.* Cum ergo operationes ſive bonæ, ſive malæ, in quantum operationes ſunt entia ſint, aliquid ſint; ſubſtantiæ ſunt in ſenſu D. Auguſt. naturæ ſunt, a Deo ſunt: alioquin nec operationes naturæ, & gratiæ entia eſſent, bona eſſent, a Deo eſſent: quia nec iſtæ ſubſtantiæ ſunt, ut ſubſtantia diſtinguitur ab accidente.

XI. Probatur ſecundo rationibus D. Thomæ: Quarum prima ſumitur ex hac *q.* 79. *art.* 2. ex *Secunda diſt.* 37. *q.* 2. *art.* 2. ſupra relato, & ex *Quæſt.* 3. *de Malo art.* 2. Prælaudatis enim locis cum prius art. præcedente ſtatuiſſet, Deum nullo modo eſſe cauſam peccati, nec directe movendo voluntatem ad peccandum, nec indirecte, cum non teneatur impedire auxilio ſuo, ne a voluntate creata, ſequatur: poſtea quærens, an Deus ſit cauſa entitatis, & actionis, quæ eſt in peccato; omnibus citatis locis, abſolute, & abſque ulla reſtrictione, aut alienatione affirmative reſpondet; ſtatuitque, Deum eſſe cauſam actus, quin ſit cauſa defectus, qui eſt in actu, hoc diſcurſu. Actus peccati, & eſt ens, & actus, ſeu motus: ſed ex utroque habet, quod ſit a Deo; ergo &c. Min. prob. Omne ens, quocumque modo ſit, oportet derivari a primo ente; omnis actus ab aliquo exiſtente in actu cauſatur, cum nihil agat niſi prout eſt in actu: omne autem ens actu reduci-

ducitur in primum actum, ſcilicet, Deum, & omnis motus cauſari debet a primo movente. Non eſſe autem Deum cauſam defectus, probat: quia cum defectus ille contingat; in quantum voluntas creata deficit ab ordine primi agentis; non poteſt reduci in Deum, ſicut in cauſam, ſed in liberum arbitrium, ſicut defectus claudicationis non reducitur in virtutem motivam, ſed in tibiam curvam ſicut in cauſa.

XII. Nec poſſunt ſubterfugere Adverſarii, dicendo: S. Thom. ſolum velle, quod Deus in actionem peccati influat poſitive; non autem quod ſit cauſa ejus proprie, & per ſe, ſed ſolum per accidens, & permiſſive.

XIII. Nam D. Thom. dicit, Deum eſſe cauſam illius entitatis, & actionis ea ratione, qua primum ens, & primus actus debet eſſe cauſa omnis entis, & omnis actus: ſed primum ens, & primus actus eſt cauſa proprie, & per ſe omnis entitatis, & actualitatis; ergo &c. Deinde S. Doct. dicit, quidquid entitatis, & actionis eſt in peccato reduci in Deum, ut in primam cauſam, non autem quidquid ibi de defectu eſt: ſed juxta Adverſarios defectus actionis Deus cauſa eſt per accidens, & permiſſiva, ut *Dub. præced.* vidimus; ergo entitatis illius actionis erit cauſa propria, & per ſe.

XIV. Ulterius: Quod eſt cauſa actionis per modum moventis, eſt cauſa per ſe, non per accidens, & permiſſiva: ſed juxta Div. Thom. Deus eſt cauſa actionis peccati per modum moventis: eſt enim cauſa illius actionis, ſicut virtus motiva animæ eſt cauſa motus, qui eſt in claudicatione; ergo &c. Hanc doctrinam apertiſſime tradit *qu.* 3. *de Malo art.* 2. *in corp.* his verbis: *Neceſſe eſt, omnes motus cauſarum ſecundarum cauſari a primo movente..... Deus autem eſt primum movens reſpectu omnium motuum, & ſpiritualium, & corporalium........ Unde cum actus peccati ſit quidam motus liberi arbitrii, neceſſe eſt dicere, quod actus peccati, in quantum eſt actus, ſit a Deo. Sed tamen attendendum eſt, quod motio primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, ſed in unoquoque ſecundum proprium modum..... Cum enim aliquod eſt in debita diſpoſitione ad recipiendam motionem primi moventis, conſequitur actio perfecta ſecundum intentionem primi moventis: ſed ſi non ſit in debita diſpoſitione, & aptitudine ad recipiendam motionem primi moventis, ſequitur actio imperfecta. Et tunc id, quod eſt ibi actionis reducitur ad primum movens, ſicut in cauſam: quod autem eſt ibi de defectu, non reducitur in primum movens ſicut in cauſam; quia talis defectus conſequitur in actione ex hoc quod agens deficit ab ordine primi moventis, ut dictum eſt. Sicut quidquid eſt de motu in claudicatione, eſt ex virtute motiva animalis; ſed quidquid eſt ibi de defectu, non eſt a virtute motiva animalis, ſed a tibia ſecundum quod deficit ab opportunitate mobilitatis a virtute motiva.* Et concludit: *Sic ergo dicendum eſt, quod Deus ſit primum principium motionis omnium, quædam ſic moventur ab ipſo, quod etiam ipſa ſeipſa movent: ſicut quæ habent liberum arbitrium, quæ ſi fuerint in debita diſpoſitione, & ordine debito ad recipiendam motionem: quæ moventur a Deo, ſequuntur bonæ actiones, quæ totaliter reducuntur in Deum, ſicut in cauſam. Si autem deficiant a debito ordine; ſequetur actio inordinata; quæ eſt actio peccati. Et ſic id, quod eſt ibi de actione, reducitur in Deum ſicut in cauſam, quod autem eſt ibi de inordinatione, vel deformitate, non habet Deum cauſam, ſed ſolum liberum arbitrium. Et propter hoc dicitur, quod actio peccati eſt a Deo, ſed peccatum non eſt a Deo.* Quibus colligitur, ex mente S. Thom. actionem peccati, ut actio eſt, eſſe non ſolum ex cauſalitate, ſed ex motione divina: eo modo, quo motus claudicationis, ut motus vitalis eſt ex motione animæ, & virtutis motivæ, & hoc non obſtante defectus, qui eſt in tali motu, ei non attribuitur, ſed curvitati, quæ eſt defectus tibiæ. Et ſic in caſu præſenti.

XV. Secunda ratio ſumitur ex 1. *diſt.* 36. *qu.* 2. *art.* 3. ſic. Quidquid habet ideam in Deo, & a Deo poſitive ut cauſa proprie, & per ſe tali producitur: ſed actio peccati, in quantum actio eſt, habet ideam in Deo; ergo &c. Maj. eſt Div. Thom. citato loco, ubi ait; *Idea dicitur ſimilitudo, vel ratio rei in Deo exiſtens, ſecundum quod eſt productiva ipſius rei, & prædeterminativa: & ideo unumquodque ſecundum quod ſe habet ad hoc, quod a Deo producatur: ita ſe habet ad hoc, quod ipſius idea ſit in Deo. Omne autem, quod ab aliquo per ſe agente producitur, oportet, quod ſecundum hoc, quod ab ipſo effectum eſt, ipſum imitetur.... Et ideo cum omnis res a Deo producatur, oportet, omnium rerum ideas in ipſo eſſe.* Unde ſic diſcurro: id, quod a Deo producitur ex intentione, ut aſſimiletur ſibi, a Deo eſt, ut a cauſa proprie, & per ſe, quia procedit ex intentione agentis: ſed quidquid habet ideam in Deo, ab ipſo fit ex intentione, ut aſſimiletur ſibi ipſi; ergo &c.

Min. vero probatur ex eodem *Qu.* 3. *de Verit. art.* 4. ubi cum ſibi objeciſſet quintum argumentum, quod vitium, cum aliqua natura ſit, habere debeat ideam in Deo, reſpondet: *Ad quintum dicendum, quod ſicut actiones malæ quantum ad id, quod habent de entitate, bonæ ſunt, & a Deo ſunt: ita eſt etiam de habitibus, qui ſunt earum principia, vel effectus. Unde ex hoc, quod ſunt mala, non ponunt aliquam naturam, ſed ſolum privationem.* Ex quibus apparet, actiones, & habitus malos, quoad entitatem ſpectatos habere naturam a Deo exemplatam; & proinde ideam, eſto non quatenus mali ſunt. Quod clarius exprimit in 2. *diſt.* 37. *qu.* 1. *art.* 2. *ad* 2. dicens: *In actu peccati eſt aliquid ſimilitudinem divinam retinens, puta, corporalis delectatio, vel aliquid hujuſmodi a ſummo bono exemplatum..... & ideo ſecundum hoc, quod ſimilitudinem Dei retinent, talia entia a Deo ſunt: ſecundum vero quod a Dei ſimilitudine recedunt, nec etiam entia ſunt, nec etiam a Deo ſunt.*

XVI. Ex hac ratione infero primo: ſecundum doctrinam D. Th. Deum non cauſare entitatem actionis peccati ſolum per accidens, permiſſive, & quaſi eam nolendo. Si enim quoad entitatem bona eſt, ens eſt, a Deo exemplata, eſt effectus Dei per ſe, ſicut quælibet alia res. Implicat enim, effectum aliquem ea ratione, qua aſſimilatur ſuæ cauſæ, & illius perfectionem participat eſſe præter ejus intentionem, & inclinationem: cum aſſimilare ſibi paſſum ſit de ratione cauſæ per ſe, immo talis ſimilitudo ſit per ſe intenta a cauſa principali; ergo implicat, quod Deus producat entitatem actus peccati, eam ſibi aſſimilando, & non producat eam per ſe, & volens illam. Eo vel maxime, quod, ut Dub. præcedente oſtenſum eſt ex S. Th. & Aug. *in Enchirid. c.* 10. Deus *neque inique quidquam facit, nec quidquam facit, niſi volens.*

XVII. Neque dicas: quod actus peccati, eſto gaudeat bonitate phyſica; cum tamen ſit connexa cum malitia morali quæ diſplicet Deo, ideo tota actio peccati Deo diſplicet. — Etenim hoc quidem probat, præfatam actionem ea ratione, qua mala eſt, non poſſe terminare nec amorem, nec actionem divinam, ſecus tamen ea ratione, qua ens, actus, & perfectio eſt. Quia non obſtante connexione cum malitia morali, adhuc remanet bona bonitate derivata a Deo, ratione cujus eſt aliqua ſimilitudo exemplata ab illo: unde non eſt, cur ratione talis bonitatis non ametur a Deo, a quo producitur, juxta allatum *Sapientiæ* 11. teſtimonium: *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Unde D. Th. 1. p. q. 20. 2. 2. *Oportet* (inquit) *quod in tantum habeat aliquid eſſe, aut quodcumque bonum, in quantum eſt volitum a Deo.* Quia vero ſibi poterat objici, Deum odio habere peccatores, reſpondet ibi ad 4. *Quod nihil prohibet, unum & idem ſecundum aliquid amari, & ſecundum aliquid odio haberi. Deus autem peccatores in quantum ſunt naturæ quædam, amat: ſic enim & ſunt, & ab ipſo ſunt. In quantum vero peccatores ſunt, non ſunt, ſed ab eſſe deficiunt; & hoc in eis a Deo non eſt: unde ſecundum hoc ab ipſo odio habentur.* Quibus conſtat, omne, quod eſt, a Deo fieri, & quod ab ipſo fit, ab ipſo amari: & ſolum illud a Deo non amari, quod non eſt, nec ab ipſo fit. Cum ergo entitas actus peccati a Deo ſit, & fiat, ab ipſo amatur ſecundum hanc rationem: & ſecundum quod ab eſſe moraliter deficit, nec a Deo eſt, & a Deo odio habetur.

XVIII. Infero ſecundo: Deum non ſolum eſſe cauſam per ſe entitatis, & actionis peccati, ut entitas, & actio eſt; ſed etiam illam, ut talem, prædeterminare. Hoc enim ſequitur, ſi, ut probatum eſt, quatenus entitas, & actio eſt, habet in Deo ideam ſui, & ſimilitudinem, ad quam fit. Quia, ut docet D. Th. in 1. diſt. 36. q. 2. a. 3. *Idea dicitur ſimilitudo, vel ratio rei in Deo exiſtens, ſecundum quod eſt productiva ipſius rei, & prædeterminativa.* Et qu. 3. de Verit. art. 1. probat, Deum non agere ex neceſſitate naturæ; quia quæ ſic agunt, *Non prædeterminant ſibi finem.* Hoc autem in Deo eſſe non poteſt: *Quia omne, quod agit propter finem, ſi non determinat ſibi finem, determinatur ei finis ab aliquo ſuperiori, quod non poteſt eſſe; quia omnes loquentes de Deo intelligunt, eum eſſe cauſam primam entium. Et ideo Plato refugiens opinionem Epicureorum, qui ponebant, omnia a caſu accidere; & Empedoclis, & aliorum, qui ponebant, omnia a caſu accidere ex neceſſitate naturæ: poſuit ideas eſſe. Et hanc etiam rationem ponendi ideas, ſcilicet* prædefinitionem *operum agendorum, innuit Dionyſ. cap. de Divinis Nominibus dicens: Exemplaria dicimus in Deo exiſtentiam rationes ſubſtantificatas, & ſingulariter præexiſtentes, quas Theologia* prædefinitiones *vocat, & divinas, & bonas voluntates exiſtentes* prædeterminativas, & effectivas, *ſecundum quas ſuperſubſtantialis eſſentia omnia* prædefinivit, *& producit.*

XIX. Placuit per extenſum verba S. Thomæ tranſcribere, ut Adverſarii videant, an hæc vox *Prædeterminatio* in ſcriptis D. Thomæ reperiatur. Deinde ex iis ſic diſcurro: Quod habet ideam in Deo, eſt ab ipſo non ſolum factum, ſed prædefinitum, & prædeterminatum, quia idea eſt *prædefinitio operum agendorum*: ſed actiones peccati, ut actiones ſunt, habent in Deo ideam; ergo a Deo ſunt prædeterminatæ, & prædefinitæ. Si enim determinarentur ab alio, nempe, a voluntate creata, ut volunt Adverſarii, Deo per accidens, & permiſſive ſe habente ad eas producendas, jam Deus haberet cauſam ſuperiorem ſe, & non eſſet prima cauſa entium, nec verum eſſet, quod *ſuperſubſtantialis eſſentia omnia prædefinivit, ac produxit.* Quapropter S. Doct. *citata q.* 3. *de Verit. a.* 2. ait: *Inconveniens eſt autem dicere, quod ſit per accidens per comparationem ad cauſam primam, & ſic per ſe per comparationem ad cauſas ſecundas; quia quod eſt per ſe, prius eſt eo, quod eſt per accidens: prius autem eſt comparatio alicujus ad cauſam primam, quam ad cauſam ſecundam, ut patet in lib. de cauſis. Unde impoſſibile eſt, quod ſit per accidens reſpectu cauſæ primæ, & per ſe reſpectu ſecundæ: poteſt autem accidere e converſo. Sicut videmus, quod ea, quæ ſunt cauſaliter quoad nos, ſunt Deo præcognita, & ordinata ab ipſo. Unde neceſſe eſt dicere, quod tota diſtinctio rerum ſit prædefinita ab eo.* Videant ergo, quam elongentur a doctrina Div. Thomæ, ne dixerim a veritate, qui actionem peccati, ut actio eſt, ponunt eſſe per accidens comparate ad cauſam primam, & per ſe comparate ad cauſam ſecundam; facientes prius, quod debet eſſe poſterius, & poſterius, quod debet eſſe prius dum volunt, Deum, cujus eſt omnia, & ſingula prædefinire, accipere, & ſequi determinationem creaturæ.

§. III.

§. III.

Reſpondetur Adverſariorum Objectis.

XX. OBjiciunt primo varias Sacræ Scripturæ auctoritates. Ut Iſaiæ 30. v. 1. *Væ fidei deſertores, dicit Dominus, ut feceritis conſilium, & non ex me, & ordiremini telem, & non per me ipſum.* Habacuc 1. v. 13. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.*

Si reſpondeatur, Iſaiam loqui de conſilio pravo, non ut actus phyſicus eſt, ſed ut parvus eſt quo modo certe non eſt ex Deo. Nomine etiam *tela* intelligi concatenationem unius peccati cum altero; unde Propheta ſubdit: *Ut adderetis peccatum ſuper peccatum.* Certum autem eſt, poſitionem unius peccati, & additionem alterius non eſſe a Deo. Habacuc autem loquitur de malo pro formali malitiæ, & pro ut a Deo avertit.

XXI. Contra inſtatur; Concupiſcentia non eſt formaliter peccatum, ut diximus contra Calvinum, ſed materialiter ſe habet ad peccatum: ſed concupiſcentia non eſt a Deo, nam 1. *Joann.* 2. *v.* 16. dicitur: *Concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, non ex Patre, ſed ex mundo eſt*; ergo &c.

Reſpondeo. Concupiſcentiam ſumi poſſe, & ut dicit actum phyſicum tendentem in delectabile; & ſic a Deo eſt. Sumi etiam poſſe, ut tendentem in delectabile contra ordinem rationis, & ſic peccatum eſt: & de hac loquitur Joannes, dum ait, quod non eſt ex Patre. Quare eam vocat concupiſcentiam carnis, & oculorum, quæ ex mundo eſt, ſeu quæ magis amat mundum, quam Deum.

XXII. Objiciunt ſecundo. Poſito quod Deus poſitive, & non ſolum permiſſive operetur actum peccati, eodem modo operabitur mala opera, ſicut & bona: ſed hoc anathemate damnatur a Tridentino *Seſſ. 6. Can.* 7. ergo &c. Maj. prob. Si Deus cauſaret per ſe mala opera quoad entitatem ſumpta, verum eſſet abſolute, quod cauſaret malum opus. Nam ut aliqua propoſitio ſit abſolute vera, ſufficit, quod prædicatum conveniat ſubjecto ſecundum id, quod dicit de materiali, & pro quo ſupponit; eſto ei non conveniat ſecundum id, quod dicit de formali: ut in iſtis *Album eſt corpus, Album eſt dulce*; ergo cum id, pro quo ſupponit peccatum, aut opus malum, ſit entitas, & actio, ut hæc propoſitio ſit vera: *Opus malum eſt per ſe cauſatum a Deo*, ſufficit, quod prædicta entitas ſit per ſe cauſata a Deo. Quod maxime verificatur in opinione ponente peccatum pro formali in carentia rectitudinis debitæ, quæ certe *opus* non eſt, ergo cauſare per ſe opus malum, eſt cauſare entitatem, cui annexa eſt privatio.

XXIII. Confirmatur. Hæc videtur eſſe legitima conſequentia: Omnis actus eſt a Deo: quoddam peccatum eſt actus (illud nimirum, quod in commiſſione conſiſtit) ergo quoddam peccatum eſt a Deo.

XXIV. Reſpondeo, neg. maj. Ad prob. nego aſſumptum, Ut enim docet S. Th. in 2. diſt. 37. q. 2. art. 2. *Quodcumque nomen deformitatem ſimul cum actu ſignificat, ſive in generali, ſive in ſpeciali, non poteſt dici, quod hoc a Deo ſit ſimpliciter. Unde non poteſt dici abſolute, quod peccatum ſit a Deo, ut homicidium, aut aliquid hujuſmodi; niſi cum hac additione, in quantum eſt actus, & in quantum eſt ens.* Et ibidem ad 3. *Deus* (inquit) *eſt cauſa bonarum operationum non ſolum quantum ad eſſentiam actus, ſed etiam quantum ad perfectionem, ſecundum quam bona dicuntur: utrumque enim agenti influit, & ut agat, & ut bene agat. Sed in malis actionibus quamvis ſit cauſa earum quantum ad eſſentiam, non tamen eſt cauſa quantum ad defectum: & ideo abſolute dicendus eſt cauſa bonorum operum, non autem peccatorum.* Et hæc quoque eſt mens Tridentini.

XXV. Ad ea vero, quæ ſubjiciuntur, admiſſo anteced. neg. conſeq. Eſto enim hoc nomen *peccatum*, ſeu opus *malum* titulo concreti ſupponat pro actu, qui ſubſtat deformitati; ſignificatum tamen formale illius eſt deformitas afficiens. Hæc autem verba, *facio, cauſo, diligo*, & alia ſignificantia actum animæ interiorem, ſecundum regulas appellationis, appellant ſupra ſignificatum formale termini, in quem feruntur. Qua ratione abſolute verificatur, artificem facere domum, & imaginem, aut picturam, quamvis ab eo nihil fiat eorum, quæ de materiali ſe habent. Cum ergo Deus viceverſa, etſi cauſa ſit actus, & entitatis, quæ de materiali eſt in peccato, non ſit tamen cauſa deformitatis, & defectus; quæ hoc nomine *peccatum* formaliter ſignificantur; nullo modo dici poteſt cauſa per ſe peccati. Et exemplum habemus in his concretis, *Impius, peccator, Dæmon*, quæ quidem ſupponunt, & dicunt de materiali naturam intellectualem liberam, quæ (ut certum eſt) terminat dilectionem Dei, qui diligit omnia, quæ ſunt, & nihil odit eorum, quæ fecit: Quia tamen ſignificant de formali aliquid diſplicens Deo; ideo nequit abſolute concedi, Deum diligere *Impium, Peccatorem, Dæmonem.*

XXVI. Ad id, quod additur, in opinione collocante peccatum pro formali in privativo, diſt. conſeq. Eſt cauſare entitatem ſecundum id præciſe, quod entitatis eſt, nego conſequent. cauſare entitatem, ut privationi conjunctam, conc. conſeq. Sic autem non cauſatur a Deo, ſed a voluntate creata: eo modo, quo motus claudicationis, ut motus vitalis eſt, ab anima eſt, ut vero motus privatus rectitudine, a ſola curvitate tibiæ procedit.

XXVII. Ad confirm. nego, conſeq. illam eſſe legitimam, quia mutatur appellatio. Eſt enim ſimilis huic: *Omnis ſtatua ſit a ſtatuario: quoddam aurum eſt ſtatua* (cum ſit ſtatua ex auro) *ergo quoddam aurum ſit a ſtatuario*; quia in majori ſtatua appellat ſupra formale ſtatuæ, in minori vero ſumitur pro materiali: & ſtatuarius facit quidem formam ſtatuæ, ſed non materiam. Ita in præſenti: in majori ſumitur actus, in quantum eſt actus, in minori vero, ut ſubſternitur deformitati, & privationi rectitudinis: omnis enim actus ſit quidem a Deo, in quantum eſt quoddam ens; ſed non ſecundum quod ſubjicitur defectui, & privationi debitæ rectitudinis.

XXVIII. Objiciunt tertio D. Auguſt. *lib. de Spiritu & litt. c.* 31. dicentem: *Nunquam legimus in Scriptura, non eſt voluntas, niſi a Deo.* Et recte: *Alioquin peccatorum* (*quod abſit*) *auctor eſt Deus, ſi non ſit voluntas niſi ab illo*: ſed dum aſſerimus, actum peccati eſſe a Deo, cogimur aſſerere, non eſſe voluntatem, niſi a Deo, ergo &c.

Confirmatur ex D. Thom. *q. 3. de Malo art. 3.* dicente: *Illud ergo per ſe poteſt eſſe cauſa peccati, quod poteſt directe movere ad actum peccati.* Atqui per nos Deus movet actum peccati; ergo per ſe eſt cauſa peccati.

XXIX. Reſpondeo, diſt. min. Non eſſe voluntatem, ut naturam, niſi a Deo, conc. min. Ut defectuoſam, nego min. Auguſtinus autem dum ait: Scripturam nullibi dicere: *Non eſt voluntas niſi a Deo*, ſolum monere vult, a Deo non eſſe æque voluntatem malam, ac bonam, alias peccatorum etiam auctor eſſet; non vero negare, voluntatem ut naturam, qua ratione bona eſt, a Deo eſſe; immo hoc contra Manichæos paſſim probat.

XXX. Ad confirm. Miror, Adverſarios, exiſtimare, D. Th. ibi ſibi eſſe propitium; cum *art.* 2. præcedente expreſſe ſtatuerit, actum peccati eſſe a Deo. Loco ergo citato reſolvit, Diabolum non eſſe directe cauſam peccandi; quia ad hoc oporteret, ut non ſolum extrinſece proponendo, ſed interius agendo, moveret voluntatem ad actum peccandi. Ex quo tamen non ſequitur, quod ſi Deus movet interius voluntatem ad actum peccandi, ei ſit cauſa peccandi, ſicut eſſet Diabolus: quia Diabolus moveret voluntatem, non ſolum ad actum, ut actus eſt, ſed ad actum, ut deficientem a recta ratione. At Deus movet quidem interius voluntatem ad agendam, ſed non ad agendum defectuoſe; defectus enim accidit ex voluntate creata deficiente. Unde ibidem ad 11. *Deus* (inquit) *eſt univerſale principium cujuslibet conſilii, & voluntatis, & actus humani, ſicut ſupra dictum eſt* (nempe directe interius operando) *ſed quod error, & peccatum, & deformitas accidat, in conſilio voluntate, & actione humana, hoc provenit ex defectu hominis.*

XXXI. Objiciunt quarto. Deus actum peccati non vult; ergo neque ipſum pro ſe cauſat. Ant. prob. Deus non vult actum, cui prævidet infallibiliter conjungendam fore malitiam, alias cenſeretur velle malitiam: ſicut qui vult actum concubitus cum advertentia, eam, cum qua concubit, non eſſe ſuam, cenſetur velle malitiam fornicationis, vel adulterii.

XXXII. Confirm. Adjuvans nauclerum, ut navis ad portum perveniat, non dicitur velle ſubmerſionem navis; etiamſi ea, per culpam naucleri male utentis adjutorio ſibi præſtito, ſubmergatur; & hoc quidem, eſto adjuvans videat, quod nauclerus ſuo adjutorio male uteretur, ſi juſtam cauſam habeat non ſubtrahendi ſuum auxilium; ergo ſimiliter Deus non dicetur velle actum malitiæ ſubſtratum, quamvis ad eam actionem advertens, quod ſuo adjutorio male utetur, ei cooperari velit.

XXXIII. Reſpondeo, neg. antec. Cum enim quidquid eſt, nonniſi Deo volente ſit, & quidem poſitive, ſi ens ſit; ſi Deus non vellet, exiſtere actum, qui eſt materiale in peccato, talis actus nunquam exiſteret. —— Nec dicas: quod Deus prohibet actum peccati; ergo illum non vult. —— Nam reſpondeo, Deum non prohibere agere, ſeu actum, ut actio eſt, ſed agere defectuoſe, & inordinate a regula: & ſub hac ratione Deus actum non vult. Sic vult Deus, miniſtrum ſuum baptizare; prohibet tamen, eum baptizare ſacrilege: & vult Deus actionem voluntatis habentem pro objecto Deum, vel proximum; eam tamen prohibet, quatenus inordinate ſe gerit, odio habendo Deum, vel proximum.

Ad prob. ant. nego aſſumptum, contra quod plures militant inſtantiæ. Primo. Deus vult actionem baptizandi, etſi prævideat miniſtrum, puta, hæreticum ſacrilege baptizaturum, quin cenſeatur velle ſacrilegium. Unde S. Auguſtinus Tract. 5. in Joann. *Quos* (inquit) *baptizavit ebrioſus, quos baptizavit adulter; ſi Baptiſmus Chriſti erat, Chriſtus Baptizavit.* Secundo. In ſententia contraria Deus vult præparare ſuam omnipotentiam ad concurrendum cum voluntate creata, in ea circumſtantia, in qua prævidit, eam infallibiliter peccaturam; immo in ea circumſtantia eam ponere vult, eique dare auxilium, quod prævidit inefficax, quin cenſeatur velle peccatum inde ſecutum. Et ratio eſt: quia malitia, & peccatum, eſto prævisum, non eſt ponendum ex voluntate Dei, ſed a creatura, ejuſque voluntate; nec Deus tenetur ejus poſitionem impedire. Sic in caſu: Deus vult actionem. quamvis prævideat, ei conjungendam fore malitiam; quia hæc malitiæ conjunctio ponenda eſt a voluntate creata, non a Deo; nec Deus tenetur hoc impedire; ideoque non cenſetur velle, actum illum cum malitia conjungi. Unde patet diſparitas ab eo, qui concumbit, advertens, eam, cum qua concumbit, non eſſe ſuam. Nam ille cum teneatur ſe abſtinere, ſi advertat mulierem non eſſe ſuam, ſi ſtante advertentia accedat ad eam, cenſetur, velle actum illum, etſi prohibitum, & proinde malum,

XXXIV. Ad confirm. Dico, eam potius nobis favere. Nam ſicut

ſicut adjuvans nauclerum non dicitur velle ſubmerſionem navis, etiamſi ea per culpam naucleri male utentis adjutorio ſubmergatur; vere tamen vult actionem in ſua ſubſtantia ſumptam, cui cooperatur: ita Deus quando cum peccatore efficit actum, qui ex culpa ipſius peccatoris peccatum eſt, non vult actum illum, in quantum eſt defectuoſus, & deformis, ſed in ſua ſubſtantia ſpectatum. Quare nego conſeq. ſubmerſio enim navis non eſt actus, cui cooperatur ille, qui præſtat adjutorium; ſed defectus ex culpa naucleri procedens, qui male utitur adjutorio: unde non mirum, ſi eſt præter voluntatem ejus, qui dat auxilium.

XXXV. Objiciunt quinto. Dantur quidam actus eſſentialiter, & ex objecto mali, ut odium Dei, hæreſis &c qui conſequenter ſua ſpecie mali ſunt, cum ab eis inordinatio auferri non poſſit; ergo vel Deus horum actuum cauſa non eſt, vel eſt cauſa peccati.

XXXVI. Confirm. Rei non aſſignatur cauſa efficiens, ſecundum quod eſt in intellectu, ſed ſecundum quod eſt in re: ſed quidam actus ſunt, in quibus natura actus non poteſt ſeparari a deformitate; ergo non cauſantur niſi ut ſtant ſub illa deformitate: ſed ut ſtant ſub deformitate non ſunt a Deo; ergo prædicti actus nullo modo ſunt a Deo.

XXXVII. Reſpondeo, diſt. ant. Mali ex ſpecie in eſſe moris, conc. ant. Ex ſpecie in eſſe naturæ, nego ant. Ita D. Thom. *q. 3. de Malo a. 2. ad 2.* dicens: *Deformitas peccati non conſequitur ſpeciem actus ſecundum quod eſt in genere naturæ; ſic autem a Deo cauſatur: ſed conſequitur ſpeciem actus, ſecundum quod eſt moralis, pro ut cauſatur ex libero arbitrio*: ideſt, ut eſt voluntarius. Et hac q. 79. a. 3. *Actus* (inquit) *& habitus non recipiunt ſpeciem ex ipſa privatione, in qua conſiſtit ratio mali, ſed ex aliquo objecto, cui conjungitur talis privatio. Et ſic ipſe defectus qui dicitur non eſſe a Deo, pertinet ad ſpeciem actus conſequenter, & non quaſi differentia ſpecifica.*

XXXVIII. Nec dicas: qui eſt cauſa formæ, eſt cauſa privationis eſſentialiter ad eam conſecutæ: ſicut dum ignis calefacit aquam, eſt cauſa privationis frigoris. —— Nam hoc eſt verum, quando talis privatio conſequitur ex natura, & eſſentia actus ſecundum ſe conſiderati; ſecus vero ſi conſequatur ex relatione ad aliquid principium exiens ordinem cauſæ primæ. Sic quia privatio rectitudinis in motu claudicationis conſequitur principium deficiens ab ordine virtutis greſſivæ, etſi in hanc reducatur motus ſecundum ſe, non tamen privatio rectitudinis. Et in tantum ignis calefaciens aquam eſt cauſa privationis frigoris; quia hæc ex natura calefactionis ſecundum ſe ſumptæ conſequitur. Quod ſi calefactioni conjungeretur alia privatio proveniens ex defectu alterius cauſæ, iſta certe in ignem non eſſet referenda, ſed in cauſam deficientem.

Propterea bene addunt Capreolus, Ferrarienſis, quos ſequitur Valentia: quod ſi actus odii produceretur a ſolo Deo ſecundum ſuam entitatem, & poneretur in lapide, aut in alio ſubjecto, eſſet idem actus in ſubſtantia; ſed non eſſet formaliter odium Dei, non deficiens a lege, quia non eſſet actus cauſæ deficientis. Unde Beccanus obſervat, quod ſi aliquis in amentia, vel ſomno cum ignorantia invincibili eliciat aliquem actum de ſe malum: ille actus erit a Deo, nec erit malus: quod ſi eumdem actum faciat ſui compos, evigilans, ſciens, ac volens, actus ille malitiam moralem contrahet. Signum ergo eſt, quod actui conjungitur malitia, non ut actus, & a Deo eſt; ſed ut exit ab ordine ad Deum, & ponitur a cauſa creata ab ejus lege voluntarie deficiente.

XXXIX. Ad Confirm. reſpondeo cum D. Thom. *in 2. diſt. 37. q. 2. a. 2. ad 5.* ubi ſimili objectioni reſpondens, ait: *Quod ſicut actio, quæ peccati deformitatem habet, dicitur bona, in quantum eſt actio bonitate naturæ; non propter hoc, quod aliquando inveniatur ſeparata a deformitate, ſed quia bonitas illa naturæ deformitati ſubſtat: ita etiam Deus dicitur eſſe cauſa illius actionis, in quantum eſt actio, & non in quantum eſt deformis, hoc modo, quod actionem non faciat a deformitate ſeparatam: ſed quia in actione deformitati conjuncta, hoc, quod eſt actionis facit, & quod deformitatis non facit. Etſi enim in aliquo effectu plura inſeparabiliter conjuncta ſunt; non oportet, ut quidquid eſt cauſa ejus quantum ad unum, ſit cauſa ejus quantum ad alterum: ſicut natura eſt cauſa oculi quantum ad ſubſtantiam ejus, & non quantum ad defectum cæcitatis, quæ ex naturæ defectu incidit.* Ita S. Præceptor. In quorum confirmationem alia exempla ſæpe ex eodem allata revocari poſſunt: nempe, in motu tibiæ curvæ, qui cum obliquitate conjungitur; in actione germinativa plantæ debilis in virtute: in quibus quidquid motus & actionis eſt a virtute motiva animæ, & a virtute Solis procedit, ut a cauſa per ſe; quidquid autem defectus eſt, a debilitate tibiæ, & plantæ procedit. Idem dicitur de perito cytharædo pulſante cytharam diſcordem; & de docto ſcriptore utente calamo male aptato: ubi quidquid ſonus, & ſcripturæ eſt, a cytharædo, & ſcriptore ut cauſis per ſe procedit; quidquid vero diſſonantiæ, & defectus a cythara, & calamo deficientibus eſt.

XL. Objiciunt ſexto. Si Deus vellet, voluntatem creatam producere entitatem actus peccati, poſſet illam conſulere, ac præcipere: ſed hoc negant Thomiſtæ; ergo &c. Maj. prob. Primo. Cur enim Deus non poteſt conſulere, ac præcipere voluntati creatæ, ut faciat id, quod vult, ab ipſa fieri? Secundo. Si non opponitur ſanctitati divinæ, velle entitatem peccati, cur opponetur, eam præcipere, aut conſulere? Tertio. Numquid Deus non poteſt præcipere voluntati creatæ, ut faciat id, quod ſecundum ſe bonum eſt?

XLI. Reſpondeo, neg. maj. Alia enim eſt ratio Dei ut agentis vniverſalis, alia Dei, ut Legiſlatoris. Ad terminandam enim divinam volitionem, & cauſalitatem per ſe Dei, ut agentis univerſalis, ſufficit, quod in re adſit ratio entis realis dicens bonitatem phyſicam: ad hoc autem, ut aliquid terminet actionem Dei, ut Legiſlatoris, requiritur, ut bonitati phyſicæ conjunctam habeat bonitatem moralem; & multo magis, ut ſit terminus divini conſilii. Quia, ut docet D. Th. 1. 2. q. 92. a. 1. *Proprius effectus legis eſt, facere bonos eos, quibus datur*: & 2. 2. q. 140. a. 1. *Finis legis divinæ eſt, ut homo inhæreat Deo.* Unde actus ille, in quo relucet ſolum bonitas phyſica conjuncta cum malitia morali, poteſt quidem terminare volitionem Dei, ut primi entis, & primæ cauſæ univerſalis; non tamen volitionem ejus, ut præceptivam, aut conſultivam.

XLII. Hinc patet ad primam prob. quare Deus non poſſit præcipere omne id, quod voluntate primi agentis, & univerſalis Proviſoris vult, ab ipſa fieri. —— Ad ſecundam etiam concedo, Deum non minus eſſe ſanctum ut agentem univerſalem, quam ut Legiſlatorem, ſubjective loquendo; ſed terminative non omni ſua voluntate intendit ſanctitatem, ſed ſolum voluntate Legiſlatoris: voluntate enim univerſalis agentis intendit ſolum producere ens. —— Ad tertiam ſimiliter dico, quod Deus poteſt quidem præcipere voluntati creatæ id quod vult ab ipſa fieri; ſi in ejus productione, nec formaliter, nec concomitanter male moraliter voluntas creata operetur: ſecus tamen, ſi id, quod vult fieri, eſto ut a Deo volitum, non ſit malum, ut tamen ponendum a voluntate cum malitia morali connectitur. Hujuſmodi autem eſt entitas actus peccati.

XLIII. Sed inſtant. Si concurſus Dei, ut cauſa moralis peccati, infert neceſſario concurſum ejus in formale: potiori ratione id ipſum inferre debet concurſus Dei phyſicus volentis, & prædeterminantis eamdem entitatem; utpote dicens perfectiorem, & efficaciorem modum operandi.

XLIV. Reſpondeo communi Noſtratum ſolutione, admiſſo ant. neg. conſeq. Nam concurſus phyſicus Deo convenit titulo primi entis; primæ cauſæ univerſaliſſimæ reſpectu cujuſcumque entis; quia quodcumque eſt tale per participationem, reduci debet in id, quod eſt tale per eſſentiam: unde terminus illius eſt ens, ut ens. At concurſus moralis non ſiſtit præciſe in entitate, & perfectione phyſica effectus, ſed ſe extendit ad omnem circumſtantiam, & modum illius; quia eſt concurſus Dei, ut cauſæ, & Proviſoris particularis: quare ſi actus malitia in genere moris veſtiatur, illud Deus nec præcipere, nec conſiliari poteſt. Hinc eſto concurſus phyſicus, & prædeterminativus ſit fortior quoad efficaciam, concurſus tamen moralis major eſt quoad extenſionem. Quia prior efficaciam ſuam continet intra lineam pure phyſicam: at poſterior, eſto non ita efficax, eſt tamen magis extenſus; quia reſpicit actum, ut exercendum a voluntate creata cum omnibus circumſtantiis, quæ hic, & nunc inveniuntur in illo, ſive ad lineam phyſicam, ſive ad lineam moralem ſpectantibus: ideoque ille poteſt negative præſcindere a malitia, iſte non. Et hoc diſcrimen fateri debent Adverſarii. Nam Deo danti concurſum indifferentem ad bonum, & malum, eumque poſitive volenti non adſcribunt malitiam formalem actus: Deo tamen danti conſilium, aut præceptum indifferens ad bonum, & malum, malitia actus tribueretur.

XLV, Objiciunt ſeptimo. Homo, qui peccat, nihil aliud reale producit, quam actum peccati; ergo ſi Deus eumdem actum cauſat, non minus erit cauſa peccati, quam homo: quia homo non alia ratione dicitur eſſe cauſa peccati, niſi quia volens, ac ſciens libere facit actum peccati.

XLVI. Confirm. In peccato ſunt duo: actus, & malitia. Si actum ſpectemus, & is ſit a Deo; totus erit a Deo, & totus ab homine. Si malitiam; ea nec a Deo, nec ab homine intenditur: quia nemo reſpiciens ad malum operatur; ergo vel uterque eſt cauſa peccati, vel neuter.

XLXII. Reſpondeo, diſt. ant. Nihil aliud producit, quam actum, ut actus ille eſt a Deo, nempe, ſub ratione puræ antitatis, nego ant. ut actus etiam dicit defectum ab ordine divino, conc. ant. *Peccatum* (inquit S. Thom. hac quæſt. 79. a. 2.) *nominat ens, & actionem cum quodam defectu: defectus autem ille eſt ex cauſa creata, ſcilicet ex libero arbitrio, in quantum deficit ab ordine primi agentis, ſcilicet, Dei. Unde defectus iſte non reducitur in Deum ſicut in cauſam, ſed in liberum arbitrium: ſicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curvam ſicut in cauſam, non autem in virtutem motivam; a qua tamen cauſatur quidquid eſt motionis in claudicatione. Et ſecundum hoc Deus eſt cauſa actus peccati: non tamen eſt cauſa peccati; quia non eſt cauſa hujus, quod actus ſit cum defectu.* Idem docet 1. *part. quæſt.* 49. *art.* 2. *ad* 2. & *in* 2. *diſt.* 37. *quæſt.* 2. *art.* 2. Quare autem Deus non poſſit eſſe cauſa hujus, quod actus ſit cum defectu, ratio a priori eſt: quia Deus, cum ſit ipſa prima regula, nequit deficere a regula, ſicut nequit deficere a ſeipſo.

XLVIII. Ad Confirm. reſpondeo ex dictis, actum peccati aliter eſſe a Deo, aliter a voluntate creata: a Deo ut actus eſt, a voluntate ut actus cum deformitate conjunctus. Hanc enim licet non directe, & expreſſe, indirecte tamen, & conſequenter vult; dum ſciens, actu illo vult a lege, & regula rationis avertere. Ita S. Thom. hac *quæſt.* 79. *art.* 2. *ad* 2. his: *In hominem ſicut in cauſam reducitur non ſolum actus, ſed etiam ipſe defectus, quia ſcilicet non ſubditur ei, cui debet ſubdi, licet hoc ipſe non intendat principaliter: & ideo homo eſt cauſa peccati. Sed Deus ſic eſt cauſa actus, quod nullo modo eſt cauſa defectus comitantis actum: & ideo non eſt cauſa peccati.* Hoc idem docens quæſt. 3. de Malo a. 2. ad 1. *Homo* (inquit) *qui peccat, licet per ſe non velit deformitatem peccati; tamen deformitas peccati aliquo modo cadit ſub voluntate*

lunta-

luntate peccantis, dum ſcilicet magis eligit deformitatem peccati incurrere, quam ab actu ceſſare. Sed deformitas peccati nullo modo cadit ſub voluntate divina; ſed conſequitur ex hoc, quod liberum arbitrium recedit ab ordine voluntatis divinæ.

XLIX. Objiciunt octavo. Qui cauſat actum, quo homo fit deterior, ipſo auctore fit deterior; ergo ſi Deus cauſat actum peccati, per quem homo fit deterior, erit Deus auctore deterior.

L. Urgetur. Omne, quod eſt bonum, alicui bonum eſt: ſed dantur quædam peccata, quorum actus nemini ſunt boni; quia & facienti nocent, & ei, in quem fiunt, ut homicidium, adulterium &c. ergo tales actus nullo modo ſunt boni, nec ſunt a Deo.

LI. Reſpondeo, neg. ant. Cujus falſitas exemplis patet. Nam cum duo eamdem navem ſimul trahunt, ad eumdem actum concurrunt; & tamen unus poteſt trahere ad bonum finem, alter ad malum, quin ille ſit cauſa, quare iſte fiat deterior. Similiter cum Dominus per ſuum ſervum exercet aliquod opus, quod ſervus facit malo fine, & Dominus bono: hic facit actum, quo alius fit deterior; nec tamen iſte eo auctore fit deterior. Sic ergo cum Deus per miniſtrum baptizat; vel abſolvit, illæ actiones a Deo ſunt, ut primo, & principali operante, a miniſtro autem ut inſtrumentali tantum agente: & tamen ſi miniſter improbe, & malo fine eas exerceat, miniſter fit deterior, quin Deo auctore fiat deterior. Quia inordinatio earum actionum ex prava ejus voluntate eſt non a Deo.

LII. Ad id, quod urgetur, reſpondet D. Thom. in 2. *diſt.* 37. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 1. Quod cum dicitur, actus peccati nulli bonus eſſe hoc convenit ſibi, ſecundum quod ſub deformitate conſideratur; & hoc modo non reducitur in Deum, ſicut in cauſam. Nullus tamen actus eſt, qui ſecundum ſe conſideratus, ſecundum hoc, quod bonus eſt, alicui etiam bonus non ſit: ſicut actus fornicationis, in quantum eſt delectabilis, eſt bonum concupiſcibile.

LIII. Supereſſent aliæ objectiones, quas prætermitto. Tum ne prolixitati plus æquo indulgeam. Tum quia ex iis, quæ dicta ſunt, facilis adeſſe poteſt ſolutio. Solum aliqua viderentur addenda ad ſalvandum, quod non lædatur ſanctitas Dei per concurſum prædeterminativum ad actum peccati, ut communiter docent Thomiſtæ. Sed quia de hoc locuti fuimus, dum ageremus de efficacia divinorum decretorum; & quia poſito, quod Deus ſit per ſe cauſa actus peccati, quin ſit cauſa deformitatis, nulla major difficultas apparet, quod ſit cauſa movens, & prædeterminans ad illum; & conſtat ex D. Thoma ſuperius relato ex *quæſt.* 3. *de Malo art.* 2. *in corp. & ad* 4. Ideo ab hoc etiam abſtineo, ſolumque ſiſto in eo, quod docet in 2. *diſt.* 37. *quæſt* 2. *art.* 2. *ad* 2. ubi objicienti, quod ſi Deus eſſet cauſa actus peccati, moveret, & cooperaretur ad malum, reſpondet: *Quod illud dicitur ad malum cooperari, quod inclinat ad actionem, ſecundum quod actio deformitati ſubſtat, unde mala eſt. Hoc autem Deo non convenit: & ideo non oportet, ut ad malum cooperari dicatur, quamvis actionis illius cauſa ſit, in qua malum conſiſtit, ſecundum quod influit agenti eſſe, poſſe, & agere, & quidquid perfectionis in agente eſt.*

D U B I U M V.

An Diabolus ſit hominibus cauſa peccandi?

§. I.

An ſit cauſa directa?

I. DIabolum peccaſſe, ac peccare, atque adeo eſſe cauſam directam peccatorum, quæ ipſe committit, nemini dubium eſt; ſive Scripturam conſulamus, quæ 1. *Jo:* 3. *verſ.* 8. dicit: *Diabolus ab initio peccat;* ſive recolantur ea, quæ in 1. *p.* de peccato Angelorum a nobis dicta ſunt. Quod ergo in dubium vertitur eſt: An ſit directe cauſa peccatorum, quæ ab hominibus committuntur. De quo S. Doctor hac 1. 2. *q.* 80. *art.* 1. & *q.* 3. *de Malo a.* 3.

II. Certum eſt, Diabolum eſſe aliquomodo cauſam peccatorum, quæ homines committunt. Ipſe enim induxit Evam ad peccandum; tentavit ad illud inducere S. Job, imo & ipſum Chriſtum. Unde Sanctus Petrus Epiſt. 1. cau. 5. v. 8. *Vigilate* (inquit) *quia adverſarius veſter Diabolus circuit quærens, quem devoret.* Et ad *Epheſ.* 6. *v.* 12. ait Paulus: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus principes, & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.*

III. Dico ergo primo. Diabolus non eſt cauſa peccati hominis directe, vel ſufficienter. Ita S. Thom. citatis locis. probatur ratione ejuſdem. Ut Diabolus eſſet directe cauſa peccati, deberet agere in voluntate, eamque movere ad actum peccati: quia eo modo aliquid eſt cauſa peccati, quo eſt cauſa actus peccati; cauſa autem eſſe non poteſt, niſi moveat principium illius actus ad agendum; proprium autem principium actus peccati eſt voluntas: ſed Diabolus non poteſt phyſice movere voluntatem hominis, interius in ea operando vel actum ejus interiorem efficiendo: hoc enim ſolus Deus, qui eſt cauſa voluntatis, facere poteſt, ergo &c.

IV. Hoc mire explicat D. Thom. *q.* 3. *de Malo a.* 3. citato his verbis: *Actus voluntatis nihil eſt aliud, quam inclinatio quædam voluntatis in volitum; ſicut & appetitus naturalis nihil eſt aliud, quam inclinatio naturæ ad aliquid. Inclinatio autem naturæ eſt, & a forma naturali, & ab eo, qui dedit formam: unde dicitur, quod motus ignis ſurſum eſt ab ejus levitate, & a generante, quod talem formam creavit. Sic ergo motus voluntatis directe procedit a voluntate, & a Deo, qui eſt voluntatis cauſa; qui ſolus in voluntate operatur, & voluntatem inclinare poteſt in quodcumque voluerit. Deus autem non eſt cauſa peccati, ut ſupra oſtenſum eſt. Relinquitur ergo, quod nihil aliud ſit directe cauſa peccati humani, niſi voluntas.*

V. Dico ſecundo. Diabolus poteſt eſſe hominibus cauſa peccati per modum perſuadentis, & ut proponens appetibile. Ita S. Thom. hac *q.* 80. *a.* 1. Ubi poſtquam dixit, Diabolum non poſſe movere voluntatem ad peccandum cauſando actum voluntatis, proſequitur dicens: quod *ex parte objecti poteſt intelligi, quod aliquid moveat voluntatem tripliciter. Uno modo ſicut ipſum objectum propoſitum; ſicut dicimus, quod cibus excitat deſiderium hominis ad comedendum. Alio modo ille, qui proponit, vel offert hujuſmodi objectum. Tertio modo ille, qui perſuadet, objectum propoſitum habere rationem boni quia & hic aliqualiter proponit proprium objectum voluntati, quod eſt rationis bonum verum, vel apparens.* Et concludit: *Primo igitur modo res ſenſibiles exterius apparentes movent voluntatem hominis ad peccandum. Secundo autem, & tertio modo vel Diabolus, vel etiam homo poteſt incitare ad peccandum, vel offerendo aliquod appetibile ſenſui, vel perſuadendo rationi.* Sic pomum vetitum movet Hevam per modum objecti; Diabolus autem per modum exterius offerentis, & perſuadentis ejus voluntati tamquam bonum.

VI. Hoc modo intelligenda eſt Scriptura *Sap.* 2. *v.* 24. dum ait: *Invidia Diaboli mors* (& propterea peccatum) *introivit in orbe terrarum:* & exponi debent PP. dum ajunt, Diabolum inſpirare malignos affectus, vel trahere animam in affectum malitiæ; nempe, *quod Diabolus ſuggerendo, vel aliqua appetibilia proponendo, inducit ad affectum peccati,* ut ait Div. Thom. hic *ad* 1.

VII. Si dicas. Inferius natum eſt moveri a ſuperiori; ergo ſicut Deus, qui eſt ſuperior homine, & Angelo, operatur per ſe in utriuſque voluntate: ita Angelus, qui eſt ſuperior homine, in hujus voluntate poterit operari; & ſicut Deus operatur bonum, ita Angelus malus poterit operari in ea peccatum.

VIII. Reſpondeo, inferius natum eſſe moveri a ſuperiori, interius quidem operante, ſi ſuperius ſit cauſa inferioris; ſolum autem exterius immutando, ſi non ſit cauſa inferioris. unde patet diſcrimen: nam Deus eſt cauſa voluntatis Angeli, & hominis; unde poteſt in ea interius operari: Diabolus autem non eſt cauſa voluntatis hominis; unde ſolum poteſt eam extrinſecus movere ſuggerendo, vel perſuadendo. Quapropter aliter Deus movet ad bonum, ac Diabolus ad malum; nam Deus ſua gratia movet efficienter, & intrinſece, Diabolus vero ſolum moraliter exterius malum ſuggerendo.

§. II.

An Diabolus poſſit inducere Homines ad peccandum operando circa Partem Senſitivam interiorem?

IX. DIco. Poſſe. Ita Sanctus Thomas hac *quæſt.* 80. *art.* 2. & *quæſt.* 3. *de Malo art.* 4. & prob. ejus ratione ſic. Natura corporalis naturaliter obedit ſpirituali, quantum ad motum localem: *Unde & Diabolus omnia illa cauſare poteſt, quæ ex motu locali corporum inferiorum provenire poſſent, niſi virtute divina reprimatur;* ſed ex motu locali corporum ſequi poſſunt varii effectus, & immutationes in phantaſia, & appetitu ſenſitivo hominis, quibus facilius diſponatur ad peccatum; ergo has cauſare poteſt Diabolus, niſi a Deo reprimatur. Min. prob. Ex motu locali ſpirituum aliquæ ſpecies formari poſſunt in imaginatione. Dicit enim Philoſophus (lib. de Somno, & vigilia cap. 3. & 4.) *Quod cum animal dormierit, deſcendente plurimo ſanguine ad principium ſenſitivum, ſimul deſcendunt motus, ſive impreſſiones relictæ ex ſenſibilium motionibus, quæ in ſenſibilibus ſpeciebus conſervantur, & movent principium apprehenſivum; itaut appareant, ac ſi tunc principium ſenſitivum a rebus ipſis exterioribus immutaretur . . . Similiter appetitus ſenſitivus concitatur ad aliquas paſſiones, ſecundum quemdam determinatum motum cordis, & ſpirituum:* itaut fiat magis diſpoſitus ad iraſcendum, vel concupiſcendum. Cum ergo Dæmones hæc omnia probe norint, ſicut & naturalem cujuſvis hominis propenſionem; excitare poſſunt, ſicut in dormientibus, ita & in vigilantibus motus locales in ſpiritibus, quibus in eorum imaginatione aliqua ſpecies alicujus ſenſibilis efformetur: & inde concitata paſſione facere, ut id, quod proponitur imaginationi, judicetur proſequendum: *quia ei, qui a paſſione detinetur, videtur eſſe bonum id, ad quod per paſſionem inclinatur.* Ita diſcurrit S. Th. hic *a.* 2. *& q.* 3. *de Malo a.* 4. concludens: *Sic ergo patet, quod Diabolus interius perſuadet peccatum imprimendo in vires ſenſitivas interiores, & exteriores: per modum autem diſponentis poteſt eſſe cauſa peccati, in quantum per ſimilem commotionem ſpirituum, & humorum facit aliquos magis diſpoſitos ad iraſcendum, vel concupiſcendum, vel ad aliquid hujuſmodi. Manifeſtum eſt enim, quod corpore aliqualiter diſpoſito, eſt homo magis pronus ad concupiſcentiam, & iram, & hujuſmodi paſſiones, quibus inſurgentibus homo diſponitur ad conſenſum. Sic ergo patet, quod Diabolus interius inſtigat ad peccatum perſuadendo, & diſponendo, non autem perficiendo peccatum.*

X. Porro cum dicitur, Diabolum poſſe producere in phantaſiam formam, ſeu ſpeciem rei; non ita intelligendum eſt,

ut illas

ut illas poſſit totaliter de novo efformare, & imprimere: non enim poteſt facere, quod cæcus natus imaginetur colores, aut ſurdus a nativitate imaginetur ſonos, ut advertit S. Th. *q.* 3. *de Malo art.* 4. ſed ſolum quod ſpecies a ſenſibus primordialiter acceptas (ut ait hic *ad* 3.) & quaſi dormientes, ac ſemiſepultas, modo dicto movere, & excitare poſſit, ut phantaſiæ præſententur. De quo videndus eſt S. Th. *q.* 16. *de Malo art.* 11. & maxime *ad* 1. ubi ait: *Quod Dæmones non poſſunt novam formam imprimere in organa corporea ſenſuum; poſſunt tamen formas in organis ſenſibilibus conſervatas aliquo modo tranſmutare, ut ſecundum eas aliquæ apparitiones fiant.* Quod repetit ibidem *ad* 9. ubi addit, hoc facere Dæmones *localiter movendo, non quidem ſubſtantiam organi dividendo, ut ſic conſequatur ſenſus doloris; ſed movendo ſpiritus, & humores ... & ſic aliquod novum imaginationi afferre ſecundum diverſas compoſitiones motuum, & ſpecierum, quaſi quorumdam ſeminum in organis ſenſibilibus latentium, quorum virtutes ipſe* (Dæmon) *cognoſcit.*

XI. Hinc naſcitur dubium: an Dæmon ſemper noverit ea, quæ ſunt in phantaſia, vel in aliis ſenſibus interioribus, ſive quo homo imaginatur, & cogitat —— Cui reſpondetur. Non ſemper noſſe, quia ſenſus interiores non ſemper, ac neceſſario ſequuntur impreſſionem corporalem, ſed ſubjiciuntur voluntatis arbitrio: quæ cum Diabolo non ſubjiciatur, nec illa ſubjiciuntur interiora, quæ illi ſubjiciuntur, & ab illa moventur, niſi aliquo ſigno exterius appareat. Ut enim docet D. Th. quæſt. 16. de Malo art. 8. *Cum intellectus angelicus ſit ſuperior ordine naturæ noſtro intellectu, poſſunt Angeli boni, vel mali ſpecies in anima noſtra exiſtentes cognoſcere. Sed quantum ad uſum, conſiderandum eſt, quod uſus ſpecierum intelligibilium, qui eſt actualis cogitatio, dependet ex voluntate: utimur enim ſpeciebus habitualiter in nobis exiſtentibus, cum volumus .... Motus autem voluntatis humanæ dependet ex ſummo ordine rerum, qui eſt ſummum bonum. Id autem, quod cadit ſub ordine ſuperioris cauſæ, non poteſt cognoſcere inferior cauſa; ſed ſolum ſuperior cauſa movens, & ille, qui movetur. Sicut ſi aliquis civis eſt ſub Prapoſito tamquam ſub inferiori cauſa, & ſub Rege tamquam ſub ſuprema; non poterit Prapoſitus cognoſcere circa civem, ſi quid immediate Rex circa ipſum ordinaverit, ſed ſolum Rex; & civis, qui movetur ſecundum ordinem Regis. Unde cum voluntas interius non poſſit niſi a Deo moveri, cujus ordini immediate ſubeſt motus voluntatis, & per conſequens voluntariæ cogitationis; non poteſt cognoſci neque a Dæmonibus, neque a quocumque alio, niſi ab ipſo Deo, & ab homine volente, & cogitante.*

XII. Cæterum cum ex dictis variis admodum modis poſſit Diabolus homini illudere, non tantum in ſenſibus externis, ſed & internis; ut mirabili voluptate ipſum afficiendo, apparitiones, ac revelationes divinas ſimulando, nec non colloquia de rebus divinis cum B. Virgine, & etiam Chriſto Domino fingendo: magna propterea cautela, ac diſcretione uti debent Confeſſarii ad ſimilia detegenda, præſertim in mulieribus; & is, qui talia patitur, magna ſubmiſſione, & humilitate munire ſe debet.

§. III.

Duo Quæſita examinantur.

XIII. QUæritur primo: An Diabolus poſſit inducere homini neceſſitatem ad peccandum?

Reſpondeo negative cum D. Thom. hac *q.* 80. *art.* 3. Et prob. hoc diſcorſu. Diabolus, vel ita perturbat imaginationem, & appetitum ſenſitivum, ut uſus rationis liber penitus tollatur, vel impediatur: vel ita ut relinquatur aliquod liberum rationis exercitium. Priori modo neceſſitare quidem poteſt, & cogere ad actum, qui ex genere ſuo eſt peccatum (ut in arrepticiis, & energumenis, quos cogit ad enuncianda verba blaſphema, vel etiam ad alios actus ex objecto malos) *Sed tunc ratione ſic ligata, & non imputatur ei ad peccatum;* quia deeſt libertas arbitrii, ſine qua actus non poteſt eſſe voluntarius, ac proinde nec peccatum. Poſteriori modo poteſt quidem diſponere, ſed non neceſſitare ad peccandum: quia ſi ratio non ſit totaliter ligata, ex ea parte, qua eſt libera, poteſt reſiſtere peccato, & Diaboli tentationem repellere. Propterea monet S. Petrus Ep. 1. cap. ultimo v. 8. *Sobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter Diabolus circuit quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide.* Et S. Jacobus c. 4. v. 7. *Reſiſtite Diabolo;* & mox additur: *& fugiet a vobis.* Tum *ad Epheſ.* 6. *v.* 16. ait Paulus: *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.* Quod ſi poſſumus Diabolo impugnanti reſiſtere, eum fugare, ejuſque tela extinguere, manifeſtum eſt, Diabolum nullo modo poſſe neceſſitatem inducere homini ad peccandum: quia, ut nuper dicebamus, in voluntatem humanam, & ea, quæ ejus libertati ſubjiciuntur, Dæmon agere nequit.

XIV. Hinc etſi Diabolus movere poſſit hominis imaginationem, ut dictum eſt, ac etiam ſenſus exteriores; quia tamen voluntas poteſt non aſſentiri iis, quæ per ſenſum, vel imaginationem ſunt apprehenſa: ideo Diabolus non poteſt neceſſitare voluntatem hominis ad peccandum (ut docet D. Thom. hic *ad* 2.) Nec etiam neceſſitare poteſt, movendo concupiſcentiam. Nam ut ait idem S. D. hic ad 3. *Concupiſcentia carnis contra ſpiritum, quando ratio ei actualiter reſiſtit, non eſt peccatum, ſed materia exercendæ virtutis. Quod autem ratio ei non reſiſtat, non eſt in poteſtate Diaboli: & ideo non poteſt inducere neceſſitatem peccandi.*

Quæritur ſecundo: An omnia peccata hominis, Diabolo directe ſuggerente, & inſtigante, committantur?

XV. Reſpondet D. Th. hic art. 4. & q. 3. de Malo art. 5. Primo, *Quod occaſionaliter, & indirecte Diabolus eſt cauſa omnium peccatorum noſtrorum, in quantum induxit primum hominem ad peccandum; ex cujus peccato in tantum vitiata eſt humana natura, ut omnes ad peccandum proclives ſimus: Sicut ſi diceretur eſſe cauſa combuſtionis lignorum, qui ligna ſecaret, ex quo ſequeretur, quod facile incenderentur.*

Directe autem non eſt cauſa omnium peccatorum humanorum, ita quod ſingula peccata perſuadeat. Quod Origenes (Lib. 3. Periarch. c. 2.) *probat ex hoc: quia etiamſi Diabolus non eſſet, homines haberent appetitum ciborum, & venereorum, & ſimilium, qui poſſet eſſe inordinatus, niſi ratione ordinaretur, quod ſubjacet libero arbitrio.* Ita S. Th. Quod maxime contingere poteſt, ſuppoſita corruptione naturæ, & ſtimulante concupiſcentia: ait enim D. Jacobus c. 1. v. 14. *Unuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. Sic ergo* (inquit q. 3. de Malo art. 5. citato) *non eſt neceſſarium, omnia peccata ex inſtinctu Diaboli provenire. Si qua tamen ex inſtinctu ejus proveniunt, ad ea complenda eo blandimento decipiuntur homines, quo primi Parentes, ut Iſidorus dicit. Et ſi qua etiam peccata abſque inſtinctu Diaboli perpetrantur; per ea tamen homines fiunt filii Diaboli, in quantum ipſum prius peccantem imitantur.*

XVI. Nec ex hoc ſequitur, peccatum hominis, Diabolo non ſuggerente commiſſum, fore irremediabile, ſicut peccatum Angeli; cum dicat Gregorius *Lib.* 4. *Moral. c.* 10. quod *peccatum Diaboli eſt irreparabile, quia cecidit nullo ſuggerente.*

Nam non intendit Gregorius ibi aſſignare cauſam unicam, vel adæquatam: *Peccatum* enim *Diaboli fuit irremediabile; quia nec aliquo ſuggerente peccavit, nec habuit aliquam pronitatem ad peccandum ex præcedenti ſuggeſtione cauſatam: quod de nullo hominis peccato dici poteſt.* Ita Div. Th. hic *ad* 3. Sed de cauſa irreparabilitatis peccati Angeli plura diximus ſuo loco.

Q U Æ S T I O VII.

De effectibus Peccati Actualis.

DE effectibus peccati Originalis egimus *Tom.* 1. *in* 1. *p. q.* 10. nunc de effectibus peccati perſonalis actualis pro complemento hujus Tractatus agere breviter, intendimus. Hi autem ſunt macula ex peccato actuali mortali relicta in anima, vulgo dicta peccatum habituale; & pœna, quam homo mortaliter peccando incurrit.

D U B I U M I.

Quid ſit Peccatum Habituale, ſeu Macula ex Peccato Actuali relicta.

§. I.

Peccati Habitualis exiſtentia.

I. PRoteſtantes, quemadmodum volunt, hominem eſſe juſtum ſola imputatione juſtitiæ Chriſti; ita ſola peccati imputatione volunt eſſe peccatorem; quare tranſacto peccato nihil intrinſecum autumant in eo manere: contra quos plura dixi *in vera Eccleſia.* Doctrina tamen Catholica aliquid ex peccato actuali relictum in anima, quod vocat peccatum habituale, ſeu maculam, agnoſcit; quamvis in explicando in quo conſiſtat, diſſideant Theologi.

II. S. Thom. hac 1. 2. *q.* 86. *art.* 1. maculam ex peccato actuali relictam explicat exemplo corporalium: *Macula* (inquit) *proprie dicitur in corporalibus, quando aliquod corpus nitidum perdit ſuum nitorem ex contactu alterius corporis, ſicut veſtis, & aurum, argentum, aut aliud hujuſmodi. In rebus autem ſpiritualibus ad ſimilitudinem hujus oportet maculam dici. Habet autem anima hominis duplicem nitorem: Unum quidem ex refulgentia luminis naturalis rationis, per quam dirigitur in ſuis actibus: alium vero ex refulgentia divini luminis, ſcilicet, ſapientiæ, & gratiæ, per quam etiam homo perficitur ad bene, & decenter agendum. Eſt autem quidam animæ tactus, quando inhæret aliquibus rebus per amorem: cum autem peccat, adhæret rebus aliquibus contra lumen rationis, & divinæ legis, ut ex ſupradictis patet. Unde ipſum detrimentum nitoris ex tali contactu proveniens, macula animæ metaphorice vocatur.* Unde S. Auguſt. relatus a D. Thom. *Opuſc.* 61. *cap.* 13. ait: Quod *anima media inter Deum, & creaturas, converſione ad Deum illuminatur, melioratur, & perficitur; converſione ad creaturas obtenebratur, deterioratur, & corrumpitur.*

III. Nec obeſt ſi dicas. Intellectus ex conſideratione cujuſcumque rei non maculatur, ſed magis perficitur; ergo nec voluntas ex adhæſione cuicumque rei maculabitur, ſed magis perficietur.

IV. Reſpondet enim S. Th. hic ad 2. *Quod actio intellectus perficitur, ſecundum quod res intelligibiles ſunt in intellectu per modum ipſius intellectus* (ideſt materialia modo immateriali) *& ideo intellectus ex eis non inficitur, ſed magis perficitur. Sed actus voluntatis conſiſtit in motu ad ipſas res; ita quod amor rei amatæ animam conglutinat: & ex hoc anima maculatur, quando inordinate inhæret, ſecundum illud Oſeæ* 9. Facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt.

Maculatur autem anima *ex rebus inferioribus non virtute earum, quaſi agentibus eis in animum: ſed magis e converſo anima actione ſua inquinat, inordinate eis inhærendo contra lumen rationis, & divinæ legis.* Ita S. Doct. hic *ad* 1.

V. Quemadmodum ergo qui voluntarie adhæret, ac ſeſe

dejicit